(10)

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRVCCII

PATRIC. FLORENTINOR. NOB.

APODIXIS EPISTOLARIS

AD STVDIA LITERARVM ET ARTIVM

MORESQVE IN PRIMIS IVVANDOS.



NVNQVAM ALIVD NATVRA, ALIVD SAPIENTIA DIXIT.

Juv. Sat. XIIII. v. 320.

LVCI IN AEMILIA

EX OFFICINA MELANDRIANA

A. M. DCCC. XXXVIII.

Digitized by Google

LVCI DIE XV. IANVARII MDCCCXXXVIII.
IMPRIMATVR
FR. FRANCISCVS GAVDE
O. PP. S. TH. PROF. VIC. S. O.

IMPRIMATVR
SIMON ANTONIVS MAZZARINIVS
VIC. POT. EP. FOROCORNEL.

THOMAS PAVLVCCIVS EQ. PRAEF. IVDICIOR.
PER AEMIL. INFER.
OPVSCVLVM EXPENDIT IDEMQ. PROBAVIT.

Digitized by Google

VALERIO BOSCHIO

PRAEPOSITO COLLEGII CANONICOR. FAVENT.
ANTISTITI DOMVS PONT. MAX.

ALOIS. CHRYSOSTOMVS FERRVCCIVS.

SI QVIDQVAM MEMINI, QVOD, PRAESTANTISSIME BOSCHI,
ME FACIAT LAETVM MEMINISSE AETATE FVGACI,
ILLA DIES FVIT, VSQVE ET ERIT, QVA CONTIGIT A TE
SEPTENNEM PVERVM SACRATIS AEDIBVS ISTHÎC *)
ME RECIPI, STVDIIS HVMANIVS INSTITVENDVM.
IAM REDIT IN MENTEM, SPATIOSA PER ATRIA QVANDO,
PERCVLSVS NOVITATE LOCI, NOVITATE PALESTRAE,
ABSENTEM MAMMAM LACRIMIS, ET VOCE PETEBAM,
CEV MATRE AVVLSVS BALATVM DVPLICAT AGNVS.
TV TAMEN OCCVRRENS BELLARIA DVLCIA BLANDO
ORE DABAS, ANIMI FVLTVRAM SAEPE RVENTIS
QVO NATVRA, POTENS PRAE VI RATIONIS, ABIBAT.
QVID FACEREM? NEQVE ME LICVIT SVBDVCERE SEPTO,
NEC SPERARE ALIBI TANTVNDEM BLANDITIARVM.
TVNC ITER INVASI DOCTRINAE PECTORE TVTO;
ATQVE HVC ADDVCTVS, TIBI QVID DEFERRE MERENTI
SERIVS EXOPTO, QVAM PAR FVIT, VNDE PATESCAT,
ME TANDEM OFFICII MEMOREM ESSE, ET VELLE VIDERI.
QVANTVLVS EST ERGO LIBER HIC, TIBI SVME DICATVM
A CAPITE AD CALCEM: QVIQVE AMPLOS DIGNVS HONORES
DESPICERE ES SOLITVS **), LEVIA HAEC CAPERE IPSE BENIGNE
MVNERA NE RENVAS; NEMPE VT CVLTOR BONVS HORTI
QVOS IPSE EDVXIT, GAVDET SIBI TOLLERE FRVCTVS.

*) Faventiæ inter alumnos sacri Seminarii.

**) Sacricola in exemplum pius et abstinens, Karoli Boschii card. ampliss. ex fratre nepos, ab Leone XII. Pont. Max. designatus ad infulas pisaurenses, dignitate se excusavit.

ELENCHOS ~~EPISTOLARUM~~.
ARGVMENTORVM.

Digitized by Google

I. AD ALEXANDRVM OPPIZZONIVM COM.

DIAETARCHVM ALOISIAE ARCHID. MAGNI DVCIS ETRVRIAE SORORIS AVG.

DE SAPIENTIA PRIMA.

Inclyte Alexander, Thusci qui Principis aulam
Munere consilii, doctrinæ laude, fideque
Spectata haud uno discrimine firmiter ornas,
Dum Frater pius, in sacro pars magna Senatu,
Romanum antiqua virtute inluminat ostrum;
Aut latet, aut fallor, tam cœco tempore sydus,
Unde infirmus homo prærupta, incertaque vitæ,
Demissis fidens animis, convexaque cæli
Suspiciens, minimo potuit superare labore.
Scilicet oravit præsentem quolibet actu
Adspirare Deum, mox et felicia cepta
Rite secundare, ut fines attingeret æquos.
Nunc positis vulgo modulis ingentia quæque
Exorditur agens nihilo securius, ac si
Debeat unda premens navim componere portu.
Sic cecidit rerum privata, et publica cura
Exanimis serie, et longis rationibus: artes
Sic sibi dira timent, ubi dignas norma coronas
Eripit ingenio: jamque ipsa ex ordine bella
Suscitat, atque gerit feliciter; agmine certo
Ignea nam tormenta jubet decernere ludum.
Nì labem hìc summam deprendimus, unde petemus
Principium illius, de quo tam sæpe dolere est,
Excidii, quod læsum hominem jam turpibus æquat
Armentis, limoque infert miracula formæ?
Namque creatus homo cœpit Μικρόκοσμος haberi,
Qui stantem simili tellurem mente referret,
Sed trepidantis aquæ gestaret corde figuram;
Aëra susciperet dulcis spiramine vitæ,
Et motum peteret divinæ ab semine flammæ.
Hinc etiam invitum defigere sæpe videmus
Os, oculosque astris, et opem deposcere cælo.
Certe humana tenet quisquis cælestia spectat
Intentu cupido; sed sors vilissima semper
Reptilium, et pecudum spectantem humana manebit.
Hoc animadvertens veterum doctrina sophorum,

Ab Jove principium cujusvis sumere facti
Constituit graviter; mox emendavit honesto
Utile posthabitum: digne qnoque protulit artes
Moribus insinuans vox illa ab Socrate missa:
Quærite quod pnlcrum est, non quod placet: atque ita pridem
Mystarum cultu florescens Gratia triplex.
Quærite regna Dei primum, sed cætera posthac:
Quærite quod sursum est, si surrexistis ab imo:
Christicolæ recinunt divini ab voce Magistri.
Quos sequitur soboles renovati temporis? Aut jam
Flagitiis secura suis eludere gaudet
Alterutros, captans infantum somnia? Disce,
Stirps vitiosa: procul qnoquò te cardine verti,
Quoquò contingat perculsa mente referri,
Aut temere ad mancum studeas remeare Platona,
Aut occurrenti noviter te tradere cuique;
Nulla usqnam perfecta manet, neque prospera toti
Relligio generi, quæ non cælestia jungit
Humanis, quæ sorte Deum non suscipit ima
Arboris ad mortem demissum infamis, et alto
Restituens Hominem atque Deum veneratur Olympo.
Hic punctum; hic requies, hic tellns convenit astris.
Infra est Sisyphii versura miserrima saxi,
Dolia natarum Danai pereuntibus undis;
Sævus ubique animi labor, et nequissima cura.
Perge, inimica tibi, violatis finibus, omne
Contemerare sacrum; socialia frangere vincla;
Majores minimis urgere procacibus; orbi
Antiquo præferre novum; celebrare nefasta;
Exagitare oleum, adjecto si pondere tandem
Sub levibus mittatur aquis, fundoque moretur.
Nullus erit tanti moliminis exitus; aut is
Ad saxa, et syrtes insanas usque reductus,
Naturæ, et placitis sapientibus addet honorem.
Qualis ubi æstivo constipans aëre nubes
Molitur Boreas cum fratribus, impete juncto,
Perpetuis almum tenebris involvere Solem.
Surgentes videas adversis flatibus illas
Vertice noctifero, tristique ex æthere sio se
Porrigere, ut jacto possis contingere telo.
Tum sæva exoritur tempestas, grandine fusa
Cnm tonitru, volitantque ignes per operta corusci.
Nec gravidæ nubes dum detumuere, tenebris

Fit fuga; jamque dies ciet altera, et altera nimbos,
Ut prope mortales ablati dona querantur
Solis, et obscura tabescant sede domorum.
Tandem castra movent, turbato fœdere, venti,
Aut Notus ostendit scissa caligine cælum,
Aut ipse invitus Boreas fert nubila secum.
Interea rutilo Sol aureus emicat ore.
Jam qui navifragum, quique extimuere peremptum
Gratantur reduci sine labe: et sæpius ipsam
Extremam nubem resoluta ambage videre est
Vulnera gestantem redivivæ a fulgure lucis.
Hæc facies miseranda orbis, fortunaque! Morum
Perfurit atra lues; et sana mente valere est
Aegrotare minus; magnum est, et multa parare,
Jactura carnisse, labantibus undique rebus.
Jam Deus exsurgat, qui se non amplius unda
Ultorem fore promisit, sed non fore flamma
Juravit posthac, non aëre, nec quoque mota
Tellure inferius. Stultæ resipiscite gentes,
Et coram trepidate Deo, dum tempus abundat,
Immotus precibus ne judex adsit ad imum.

v. 4. *Frater pius.* Karolus nempe Oppizzonius Card. Archiep. Bononiensium, cujus egregia in Ecclesiam Catholicam merita longa ætas eloquetur.

v. 10. *Scilicet oravit* etc. *Actiones nostras, quæsumus Domine* etc. Et (quod parrhesiastes profanos non fugiat) quotidie præ oculis habuit homo verecundus, quæ psalmo XIIII. conclusa, sic aliquando nos ipsi per parodiam digessimus:

Quis tectis, Deus, in sanctis vestigia ponet,
Inveniet requiem montibus inque tuis?
Qui noxa caret, et justo non deficit hilum,
Nec corde, aut lingua versat, agitque dolos:
Qui damnum nulli fecit, nec mente recepit
Quàcumque adversus sistitur opprobrium.
Illius ante oculos frustratur, hiatque malignus
Ore; sed est sancti gloria magna metus.
Qui didicit jurare fidem, neque fallere, cuiquam;
Qui nummos aliquo fenore non posuit:
Insontem ut plectat qui non inducitur auro,
Hic manet immota perpetuandus ope.

v. 26. Græca vox: lat. *parvus mundus.*

v. 42. *Gratia triplex.* De cultu Charitum Socratico legesis philosophos, et historicos.

v. 43. *Quærite* etc. Matth. VI. 33. - Luc. XII. 31. - Paul. ad Colossenses III. 1.

11. AD ARCHANGELVM POLIDORIVM
EPISCOPVM FVLGINATIVM.

DE SILENTIO.

Quid petere excidiis, vel quo consistere tandem
Dicemus vivos tam seri, Archangele, secli?
Queis unum hoc olidum invidia, damnoque nepotum
Propositum insedit, nihil ut sine labe supersit
Consilia, et solidas quod opes testetur avorum.
Hinc generi, et domui stant cuilibet ultima: muris
Decidit urbs pariter cum civibus: oppida tangunt
Aequa solum, et summo quod possit stare malorum,
Insidiis nihilo visa est prudentia distans:
Visa quoque arx animi, taciturna silentia, prorsus
Digna rui, rapiente via quæ tardet euntes.
Curritur immotis pedibus per saxa, et arenas,
Trans mare, trans montes, per apertum aër, rate, curru,
Sericeisque globis, breviterque sedilibus ipsis
Arte vaporatis (iter admirabile), et alba
Crystallo pellucidior patet omnibus oris
Mens animi, alliciens venantes tuta per orbem
Quæ primi arripere, et sibi met submittere possint.
Porro ut garrulitas variis de fontibus omne
Effundat quod corde latet, contentus ad unum
Sermonem non hæret egens peregrinus ubique
Et nosse, et nosci: Gallum sonat, atque Britannum,
Seque in propatulo ponit fallentibus hamo
Candidum, et ingenuum, multa virtute loquacem.
O ubi Pythagoras, qui fida silentia jussit
Discipulos servare per annos quinque, priusquam
Aggrederentur opus sophiæ, tandemque liceret
Fundatam tacite verbis exponere mentem!
Nunc sine mente loqui cupimus, longasque notamus
Ridendo veterumque moras, studiumque tacendi.
Sed vallum invadunt hostes, animusque fit ante
Captivus, quam se dominus sciat esse, suique
Dictator, corde et sensu parentibus infra.
Eccur doctrinam dubitandi dicimus artem,
Principio facti si texta relinquimus, et quod
Perfectum est dextra, diffingimus usque sinistra?
Ore cibos an qui sumit, simul a stomacho vult
Concoctos petere, atque meat detrudere ab alvo? *)

Digitized by Google

Tempora certa damus dapibus, quæ corpus alendo
Sustentent, nec præceptis damus officiosum
Quæ faciant hominem, atque sui bene regna tenentem.
Quidquid percipimus subito disperdimus æstu
Invidiosa cohors justæ post funera laudis.
Nam bene qui latuit bene vitam duxit in orbe,
Conclusæ tecto testudinis æmulus, aut par.
Egregia est virtus patientia longa silendi:
Atque loqui secum plus profuit ordine vitæ,
Quam dixisse aliis quod te quandoque locutum
Pœniteat: mala res, et dura, et plena doloris!
Stultus dum tacuit sapiens est visus; et ipse
Eligit orator tacuisse, loquente corona.
Scis Archigdamidas quo verbo carpserit olim
Famam oblimantes Hecatæi rhetoris, hoc quod
Convivatus amicis in præsens dare vocem
Noluit, atque loqui taciturno distulit ore.
O inopes studiis! hic qui bene dicere novit,
Opportune etiam novit dixisse: quid ergo
Plectitis, et vitio præclaram vertitis artem?
Quottus quisque hodie juvenilibus ingerit ista
Auriculis, pausæ si fiant forte loquendi!
Nemo ita profecit (quod ego, et tu nempe sciamus)
Ut fructus tulerit dignos monitore recepto.
Attamen a turbæ fremitu, et clangore tubarum
Hæc ego pauca cano vel surdis, vel tibi, amice,
Sublimem statuit quem disciplina tacendi,
Ipse etiam expertus, diuturno errore loquaces
Si revocem, et pertusa reconcinnem pice vasa,
Quæ fluidos latices parce cum tempore mittant.

*) In hanc, aut similem sententiam epigrammatium dedimus olim ad Prodicum:

Prodice, qui vario scribendi effunderis usu
Ingenio præcox, impatiensque moræ,
Comprime te, studioque insiste tenacius uni:
Si variata placent, continuata juvant.

III. AD LAVRETVM SANTVCCIVM

LEGATVM PONT. MAX. AD NEGOTIA PER ETRVRIAM.

DE MORIBVS VETERVM.

Santucci Arcadicæ custos studiose cohortis,
Atque idem antistes sacro sublimis honore,
Quorsum Musa mihi? si respondere negaret
Solvendis meritis, vano morosa pudore;
Teque virum antiqui moris connectere versu
Cunctaretur adhuc antiqui laudibus ævi.
Quinque hominum, aut ultra repetendo secula mitto,
Barbarie edomita, magnæ dum conscia pugnæ
Pectora civili requièrunt denique pace.
Tunc immota fides, et fas, inscriptaque jura
Cordibus emicuere; velut de pondere mallei
Exiit albescens radiante nomisma corona.
Quisque animo studuit, tum factis recta tueri,
Et bona cuncta Deo auctori suscepta referre,
Sobrietas rerum docuit bene ducere vitam
Clamque, palamque; suæ nam judicium grave mentis
Quisque sibi metuit, censor vigil, atque severus.
Tunc, quicumque status foret urbis, fervida pubes
De monitis valuit seniorum, et sic seniores
De flammis juvenum sumpsere ad grandia vires.
Suave jugum, et facile est onus omni ætate ferendum,
Unguibus a teneris dum nos cohibere potenter
Audemus, nutum nec fastidire jubentis.
Imperat is male, jussa pati qui nesciit apto
Tempore; nec tali res gaudet publica cive.
Tunc doctrina fuit potior, parere minorem
Majori; fuit et mos, instar legis, avitus.
Hinc fortes crevere animis, et corpore nati,
Pace boni, et bello, libertatemque ferentes.
Et patriam casto sub corde, nec ore profano.
Atque utinam plagis nunquam labefacta malorum
Nunc etiam recta constaret mole columna!
Cuncta sed immodicis, portentum immane, libido
Perdomuit curis, totumque a cardine mundum,
Vi rapiente lucri, subvertens, alteram inire
Servitium alterius partis trans jura coegit.
Dicat, quæso, aliquis, tellus quid America fætu,
Quid faba Berrhææ, aut Mochæ, quid munere glandes

Mexiacæ peperere boni, vel sacchara nobis.
Num magis in pretio est quod vitam felle carentem
Efficit? insidiis numquis modus, atque rapinis?
Pœna manet subeunda merenti? an non fera torquet
Immeritos, meritosque lues, quæ sanguine totam
Polluit Europen, gladioque perire cruentos
Ocyus ostendit, vel serius ordine justo?
Huc res attingunt fessæ, pejusque minantur.
  Sunt qui præsentis tamen ævi pangere laudes
Nunquam desistant, cuncta hîc antiqua perosi.
Jamque superba solo renovare palatia tendunt,
Oppida diruere; et tectis incendia laudant:
Aut populum magno congesta volumina sumptu
Pondere chartarum venalia forte terunci
Ponentem passim, bene prospexisse futuris
Affirmant, damno sapientum ætate priorum.
Quid meat intactum ad seros, Laurete, nepotes?
Parcite barbariem furibundam in vota vocare,
Fastis, atque opibus gens exitiosa vetustis.
Si cessant parvo truculentæ fine catervæ,
Hic agit omnigenum cicurato pectore vulgus,
Ut breviter gemmas, ebur, æs, pictasque tabellas,
Et libros, et se cum fundo, et cum lare perdat.

v. 50. *incendia laudant*. Hæc exarabam sub finem anni MDCCCXXXVII quo Bononiæ incendia domorum intus et extra urbem numero XXVI. exstiterant; et novissime Londini, Lutetiæ Parisiorum, Gandavi, Petropoli ædificia tum mole, tum splendore magnificentissima, uno ferme ictu, flammis, ut fama est, fortuitis conflagrarunt.

IIII. AD PETRVM BERTAZZOLIVM MARCH.

DE MORIBVS RECENTIORVM.

Petre, sodalitio veteri mihi juncte libenter,
Ex quo, blanditiis mala ne corrumperet ætas,
Arce Faventina nos seposuere parentes,
Diductis rides, studeo si dicere, labris,
Nempe duos bulbos nos esse, aut semina, queis ne
Officeret tempestiva virtute caloris
Sol urens, gelida properavit condere cella
Destinans olitor tardis prodire diebus.
Vulnificum a Cyrno solem illum intelligo, nostras
Qui res provexit, Francorum forte parergon
Imperii, occidua claudens annalia luce.
Felices campos, si jam potuisset adeptis
Paullatim radiis totos lustrare! sed ussit;
Et tonitru horrendum persensit Lipsia casum.
Facta, infecta pari fato tunc læsa fuerunt,
Et male sopitis odiis rediere tumultus.
Nam famulos, et heros pariator inanis adegit,
Turbatis subito rationibus, ire solutos.
Ut si de geminis aliquando viribus unam
Pendula dilexit pila, dum vis subdola cessat
Defectu celeri, retro redit illa relicta,
Et proprio, alterutram eludens, a pondere nutat.
Interea totus sensim vastantibus orbis
Miscetur rixis: jamque una recentior ætas
Pluribus exactis se comparat ore procaci;
Seque brevi gyro longis vix edita seclis
Gesta tulisse canit, captu et majora nepotum.
Nec quisquam dubitet, quin multa, et magna relatu
Gesserit illa; tamen lapidoso tristia fructu.
Nam corda in lapides vere convertit agendo,
Et nimium liquida mentes ratione resolvit:
Scire superba quibus terrarum primitus oris
Relligio Superum exierit sapiente virorum
Consilio; quà stare Dei sine numine noto
Stirps hominum, aut regio dicatur sorte beata:
Quatenus humanum quatient phantasmata pectus,
Spe rectum, atque metu misere extorquentia, posset
Quod dare mos, et honos persuasus ab ubere matrum.
Somnia dira hæc sunt, generique trahentia nostro

Perniciem, veri cura tractabilis, unde
Vera superna fidem amittunt, naucique putantur.
Ac si totus homo constaret corpore inerti,
Nec sibi latraret cælestia suspicere intus.
Quod deinde adfertur de more, et honore, tenellis
Qui possent animis persuasi inducere amorem
Virtutis, caput incusat medicabile fuste.
Nulla unquam Suadela reclusit pectus Amori,
Exclusam sed Amor Suadelam mente recepit:
Ex quo mater amat sibi natum, non quia natum,
Sed quia sorte suum naturæ; et sic puer infans
Blanditur matri festivus, non quia matrem
Conjugium effecit, sed quod sua pertulit esse.
At, quæ naturam gestit superare magistram
Motibus insanis devexa, et decolor ætas,
Digna refert meritis studio decepta rebelli.
Namque odio vitæ sibi mortem conscius infert
Plurimus, ex inopi quem protulit illa palæstra.
Desidia evictam subigatrix devia pubem
Conjugiis arcet; vel si quis forte hymenæos
Transfuga sustinuit, perituræ lumine formæ
Ductus amat sociam, sed natos horret habere;
Aut contra votum susceptos altera nutrit,
Altera quæ primos risus, et basia tollit,
Altera quæ vili pretio suffecta reponit
Blanditias matris, fallens ab origine prolem.
Sed genitor quæ liquit avus sibi debita raptans
Deliciis perdit: nî jam voret alea fundum.
Literulis natos festinus format, et ultra
Aetatis nervos, crepidas jubet ire paratum,
Victum, et vestitum, fallendo semper ineptos.
Interea lateri catus adsentator adhærens
Luxuria, et ludo male natos provocat usus,
Quos tacite invectos firmantque, probantque parentes,
Et levia, et nulli damnosa crepundia dicunt.
Alter amat cythara clausæ mulcere puellæ
Auriculas, media spatiatus nocte per urbem:
Alter agit cantu cordis solarier æstus,
Injecto quod turpe sapit, tentatque pudorem.
Et quidam buxum, aut æs vult inflare sonorum;
Nam clavata novo ingenio tuba tibia facta est,
Dulcibus exhilarans modulis, quæ pulsa ciebat
Thyrreno clangore viros ad Martia bella.

Quisque tamen levibus breviter decedet ab orsis,
Quisque etenim facit, et facti cito pœnitet illum:
Quottidie peregrina crepans, peregrina reposcit,
Et sola constans levitate, interrogat omnes;
Urget ephemeridas oculis, ut portitor haustas
Huc illuc merces transvectet, dona diei,
Semina cnlturæ felicia mitibus oris.
Quid feret hæc aurora boni venientibus annis
Scitamur passim, et questus quandoque subortis
Inceptos lacrymis abrupimus inter eundum.
Sed qnid proficimus miserando, suavis amice?
Post partus furiata suos recruduit ætas
Monstrorum genetrix, a queis molimine magno
Monstra iterum exstabunt, donec Tyrinthius hydræ
Adveniat domitor, securaque secla reducat.
Nos habeat nostris cum natis undique circum
Clausa domns, satis indeptos, si peste furente
Effugimus cadere, et morem servamus avitum.
Mensaque dimittat nos contentos myacantho,
Si caput asparagi quondam defecit edulis.

v. 3. *Arce Faventina*. In seminario nempe Faventino disciplinis quibusqne optimis tunc celebratissimo.

v. 11. *Vulnificum etc.* Virum attingimus omni ævo mirabilem, quem fortuna belli ab Cyrno suscitatum rara fide, constantiaque diu comitata est, tandemque in Lipsiæ campis fame, geluque perdomitum hostibus ex omni Europa convenientibus facile profligandum permisit.

v. 82. *Nam clavata etc.* Ætas mollitie deperdita canorum tubæ sonitum miro ausu, nec tamen laudabili, extenuavit.

v. 103. *myacantho*. Frugalitatem custodem pacis domesticæ ut aliquid denique significet, ab asparago ad myacanthum nullo fastidio nos migrare, commentamur.

Digitized by Google

V. AD PELLEGRINVM FARINIVM
INTER INTIMOS PONT. MAX. CVBICVLARIOS ADLECTVM.

DE INGENIIS PRAECOCIBVS.

DEVEXUM Autumni per tempus forte sedebam
Cum pueris, presso rutilat quà gramine pratum.
Huc illuc rarus flos bellidis orbe minori
Se promit, vere imbrifero qui plurimus exit.
Hos ego contemplans, pueris mirantibus, aut sint
Relliquiæ occidui, aut potius remeabilis anni
Primitiæ, induxi sermonem his vocibus ultro:
O pueri, quod pulcra facit præ tempore bellis
Hic viridi campo, faciunt ætate recenti
Plerumque ingenia admoto disclusa calore
Ante diem, fructusque suos proferre coacta.
Dant equidem præter solitum, sed credite, nullos
Tempestiva dabunt, in summa effæta juventa.
Hoc tamen invaluit per tempus ferme apud omnes,
Posthabita ætatis prorsus ratione, tenellos
Discipulorum animos doctrinæ semine quoque
Opplere, et subitos petere, atque extrudere fructus.
Lactenti ac si des panem, quem mandat, ut ante
Quam natura ferat, vulgo dicatur adultus,
Pronomus et barbam materna ostentet ab alvo.
O miseri curarum! hominem formatis in ipsis
Unguiculis, veniens qui mox ætate repulsum
In puerum recidet, nullis radicibus hærens;
Vel sit mollis humi vitium, vel germinis, ex quo
Impatiens seclum mediocria tollere tentat,
Grandia submittit, quin et mediocribus æquat.
Sed quæ rugosis in cælum tollitur ilex
Corticibus, cunctata diu pervicit agendo
Triste solum, et magna valuit radice, prinsquam
Nigra comam indueret, ramisque patesceret actis:
Horrifica glacie, atque urenti obduruit æstu.
Hinc arbusta cadunt, atque hinc, bignonia frondens,
Kalmia lata, salix, rhododendrou, acacia mitis,
Et platanus jam non cœlebs, nec inutilis umbra:
Ilex immota stat mole exercita nimbis
Omnibus, et seclo gaudet superesse ruenti.
Nequidquam cœcum curatis sole retecto,
Nequidquam salebras procul, anfractusque viarum

Digitized by Google

Lapsuro infirmis genibus æquare paratis.
Cum vulgo periit semper qui vulgus amavit,
Spretum, et spernendum sapientibus: hoc etenim uno
Forte valere potest, imitator ut imus inumbret
Clara exempla virûm, nullo inflammatus amore.
Inventis vero ingeniis cura, et labor omnis
Impendendus erit; densanda pericula circum;
Fræna adhibenda procul stimulis, flectantur ut arti.
Nam fluit ingenii divinitus edita vena
More perennis aquæ, quæ tota quieta remotis
Præterit objicibus, quærenti pene sepulta.
Sed si convecto protendas aggere claustra,
Aut ipso valide depressam in fonte retundas,
Tunc delapsa sonat spumis, et rore caduco,
Aut latices ciet, et longe salit imbre nitenti.
Qui placitum atque bonum numero struxere petentum
Non animo, confertum epulis posuere catinum,
Servus ubi, et dominus, dux, miles, plebs, pater ultro
Intingant, uno concordes usque palato.
Tolle, bonum est-nequeo; nam displicet-optimum habebis
Ad stomachum-nolo; nam nil me pepsis adurget:
Ore trahor, fruor ore tenus; tibi peptica sume-.
Diversis studiis convivæ sæpe loquaces
Hoc agitant, vacuaque ferunt dispendia vita.
Namque bonum utentes semper respexit, et ipsa
Vita bonum est minimum, vitæ si tollis amorem.
An qui marmoream speciem fodicatque, vocatque,
Gaudeat interdum responso? dicere vanum est.
Sic longo poterit blanditu vulgus amare,
Sic optare bonum, frugi sic esse, piumque.
Scriptores tamen hesterni causasque, animosque
Scribendi tulerunt a vulgo; et sponte fatentur
Se vulgum amplexos, vulgo dictasse juvando.
Nil opportunum miserunt præter, ut essent
Perspicui, ut variæ doctrinæ occurreret esca
Ipsis invitis nullo quæsita labore.
Vilis, iniqua mora hæc, atque exitialis in ævum,
Quæ favet ignavis, et cura deteriorum
Solertes summo defraudat culmine laudum.
Hoc cavit quicumque odio vulgaria dixit
Excipienda gravi, pecudumque in sorte locavit
Fœderis humani labem, et perjuria, turbas.
Accipite, o pueri, seriem faciesque malorum,

Ex quo blandiloqui passim calidaria mundi
Fecere ingeniis, ruerent ut præcoqua cultu,
Et gererent lauros docti de mnnere vulgi,
Qni sobolem implumem nido fngat invidus auceps.
Prima throno insilnit, regemque ejecit Erinnys:
Altera delectos proceres mulctavit iniquo
Exilio, ut laxis caderet respnblica fræuis:
Tertia vulgares fnrere, atque cnrulibus altis
More patrum docuit perfricta insidere fronte:
Temporé jam ex illo nullus delectus habendis
Communis censns custodibus; ordine nullo
Conventum est; cautos victrix audacia fregit.
Præpropero juvenes studio voluere videri
Rectores digni, senibusque a stipite pulsis,
Gente nova, vitiisque novis, nova jura tulerunt.
Aurea præ numero visa est vilescere virtus;
Nam numero valuere, globis atque undique ductis
Agminibus: plebs a patribus secessit, et omnem
Rem, capite exclnso, absolvit sententia ventris.
Quin etiam magni fruges consumere ductum est.
Multorum ratio meliores traxit; et orbe
Inverso, argutum dominus portavit asellum.
Res Romana tamen diverso constitit usu
Nobilis imperio, atque armorum sorte secunda.
Illic non numero, sed vi meliore vacatum est
Et patriæ, et famæ, ad seros traherentur ut annos.
Gaudebant equites soli volitare sub armis,
Nec grege servorum tentabant bella, sed ipsis
Pectoribus seniorum afflando extrema movebant.
Romulus insignem monitis felicibus urbem
Fundavit muris, sed præstantissima Roma
Exiit a Cannis; equitum nam sanguine fuso,
Illino perpetuæ micuerunt germina laudis.
Sanguine venit honos, nitido qui sangnine lotus
Cum virtute redit, vulgo metuitque probari.
Hæc ego do pueris, quos tu, celebrande Farini,
Materno sermone facis primordia cultns
Suscipere historiis, dio qnas alite Môses
Digessit; mox propositis æqualibus angis
Exemplis, nostro quæ Gallia protulit ævo.
Denique Romuleis rerum compendia fastis
Enumeras sic, ut nativo pectora sensu
Antiquam arripiant virtutem, et mente recondant;

Donec adulta suo plenos det tempore fructus,
Et studium ambigui ferme indignata popelli,
Exemplis morem vitæ sociabilis æquet.

v. 2. *flos bellidis* etc. *Bellis minor* Linnæi.
v. 20. *Pronomus*. Tibicen fuit apud Græcos ejus nominis barbæ studiosissimus, atque ex hoc ridiculo habitus: nempe ut recentiores quidam hoc a nobis epigrammate notati:

Tempus erat, barbam quo testem magna sophorum
Doctrina obtinuit, visque superba ducum.
Tempus adest, villos quo nutrit spissa juventus,
Roboris, et mentis ne videatur inops.
Aut sic forte putat redivivum a stirpe pudorem
Victrix villosis contumulasse genis:
Ut ludo vigiles adeat liberrima cœtus,
Et rictu horrifico victa puella cadat.
Quidquid id est, cultu veteri mentita juventus,
Nunc vitia obnubit, stultitiasque novas.

v. 32-33. *bignonia* etc. *Bignonia catalpa*, *kalmia latifolia*, *rhododendron maximum* etc. Linnæi.
v. 46. *procul stimulis*. Fere ut assolet circa pullum pecoris generosi. Porro de Equo hæc alias dedimus a Job. XXXVIII. 19.

Forsan equo adjicias animos? volitantibus ornes
Colla jubis? tollas salientem more locustæ?
Territat ille acri hinnitu, cavat ungue subactam
Tellurem, exultatque audax, seque obvius adfert,
Seu quis tela gerit; seu quis vult stringere contra,
Nil trepidat, nec se ferri mucrone recellit.
Pulsa pharetra super sonet, hasta coruscet, et umbo,
Invadens vorat ille viam, tenditque, fremitque.
Concinuere tubæ, nec jam clangore movetur,
Colligit ast iras, et longe naribus hostem
Præcipiens, jussa adfectat, mediosque tumultus.

v. 54. *Qui placitum* etc. His declarare instituimus quanti intersit vulgatissimum illud recentiorum propositum: *il maggior bene del maggior numero*.
v. 99-100. *plebs a patribus* etc. Rerum similitudine capta, hæc commentamur ad normam fabellæ qua Menennius Agrippa plebem Romanam olim Senatui conciliavit.
v. 110. *afflando*. v. Livium D. 1. l. v. de Gallis Romam capientibus: *venerabundi intuebantur in ædium vestibulis sedentes viros propter ornatum, habitumque humano augustiorem, majestate etiam, quam vultus, gravitasque oris præseferebat, simillimos Diis.*
v. 118. *Materno sermone* etc. A Farinio habemus: *Dell' Istoria del Vecchio e Nuovo Testamento, Libri dieci - Vite di Giovani Studenti educati nei piccoli Seminarj di Francia trad. dal Francese* - brevique habebimus italice compendium Historiar. Romanar. ab Urbe condita ad exitum Reipublicæ: omnia ad unguem elaborata.

Digitized by Google

VI. AD GEORGIVM ANTONIVM MORINIVM
RHETOREM SACRI SEMINARII FAVENT.

DE RECTA INSTITVTIONE.

Unde mihi baccar, quod te servare, Morini,
Invidia valeat linguæ mordacis, honestæ
Custodem disciplinæ nitidum, atque severum?
Invasit puros maculosa licentia mores,
Undique conducta prorumpens plebe docentum,
Quæ sibi pollicita, atque aliis ingentia quæque,
Secretas patefecit opes, minimoque labore
Posse iter absolvi clamavit ad ætheris oras.
Hanc hominum, et rerum redivivam in secula pestem
Nequicquam intorto petiere Samosata telo.
Tu tamen haud parcis viva prævertere voce
Instantem, et positis prohibes consistere castris.
Te sequitur non spissa cohors, sed, turbine pulso,
Quæ possit veteres revocando attollere cultus.
Nec vos cura nocens popularis distinet auræ,
Splendida nec cautos fallacia decipit illa
Doctrinæ, et vitæ, qua quis suggesta magistri
Nactus, ait breviter se se omnia velle docere,
Anserem et in cycnum, aut in equos convertere cillos.
Namque palam est vobis nil posse docere magistrum,
Præter iter longum properantis ad ardua Musæ;
Quà qui crure vigent, alacri virtute sequentur,
Sed qui crure carent, gelido torpore jacebunt,
Quem non mille intus stimuli, flammæque resolvent.
Semper in exitium meliorum contulit, ima
De statione hominum vulgares tollere, sic ut
Grande aliquid sibi præ turba videantur inerti.
Nam tumidi folles plausu exultantis arenæ
Ducunt exceptos sese, qui denique Πυκτην
Respiciat doctum dentato ludere cæstu.
  Cedite, grex inopum, Sophiæ de limine casto:
Nulla hìc venditio, nullus cum fenore quæstus.
Ad plateas fiant concursus, atque tabernas,
Extra septa, quibus clauso sedet ore tuendis
Harpocrates, digito servanda silentia monstrans.
Hìc paucos recipit minimo Sapientia gaudens
Ingressu juvenum, turbasque exosa procaces.

Digitized by Google

Siquem tentet adhuc violentia corde profano,
Finibus abruptis, malesanus ut irruat, hunc tu
Ore gravi procul esse jube, observande Morini,
Captet ut obscuram, faciatque inglorius artem.

v. 10. *Samosata.* Videsis Luciani Samosatensis dialogum, qui inscribitur Ρητωρ.

v. 29. Græca vox: lat. *pugilem.*

VII. AD FRVCTVOSVM BECCHIVM

AB ACTIS REGII COETVS SODALIVM FVRFVREOR.

DE CVRA VERBORVM.

Trans Apennini concretas frigore cautes,
Et latis sulcata viis juga Principe magno
Legiferi mentem Leopoldi, et nomen adepto,
Litera ab Aemilia, recipis si, candide Becchi,
Missa venit, parvi quam fudit amiculus æstus.
Nam vult sermonum quondam memor ille videri,
Quos simul intulimus captantes frigus, et auras
Vesperis æstivi, quà Brunellescus anhelat
Exultare tholo, turrique Arnolphus ab alta.
Tunc visum est porro nodis inducere velle
Niliacam scyrpum, veteres qui stringere Musas
Aetatis ratione novæ, morumque novorum
Contendat, nihili præ rebus verba putando.
Atqui nec sapiens isthinc abluserit ullus,
Ex quo Furfureus, qui te capit, optime, Cœtus
Censor præcipuus verborum nobilioris
Obsequio Ausoniæ sedet, et jus servat avitum,
Judiciis tutus, si linguæ finibus hæsit.
Dat natura etenim solis abscondita silvis
Quod tecum reputes; sed quod de munere vocis
Exponas aliis, hominum conventus amore
Dat socio, et primas reparanti adjudicat arti.
Prævisa specie, quidnam faber edet, apertus
Instrumento artis nî jam præluxerit usus?
Adde quod ipsa dies pejore volubilis ævo
Deteriora facit minuendo cuncta, quibus nî
Quottidie suppletur, ad imum exesa peribunt,
Et nova barbaries incumbet more ferino.

Qui junctos homines vinclis socialibus olim
Aestimat, ut genus officiis communibus altum
Agmine perpetuo seclis se comparet, aut scit
Quo distent spatio facere, et fecisse libenter,
Noverit is, verbis mature quàm sit habenda
Et cura, et ratio delectu sedula; ab annis
Ut veniens levibus sermo se pectoris imi
Sensibus expediat pingendis, vique sagaci
Præcipiat mentem, quæ serius apta capesset
Fræna viri, dubiæque reget per lubrica vitæ.
Sic scribentis opes modicas sententia nunquam
Immodica arguerit, longeque a corde legentis
Admirari aberit; quin spes plerumque subibit,
Talia se nullo jam fundere posse labore.
His animis calamum qui tractant, semper honesta
Utilitate hominum socialia vincla juvabunt;
Nec spe dejectos imitandi, sæpe premendo
Extrudent laqueis vitiorum fertilis oti.
Hoc tamen est intra fas, et jus accipiendum:
Nam fines transgressa suos pulcherrima virtus
Ipsa, gravans nimio stravit fulgore minores.
Multa forent exempla, quibus, si forte opus esset,
Constaret dictum: sed eo contentus abibis,
Quod prope Furfnreum, qui te capit, optime, Cœtum
Attigit, et qnestus imis induxit acerbos.
Quantus ab assidui ludo, curaque parentis
Prodierit Torquatus, omissis plumbus, uno
Carmine de Solymis ostendit Musa receptis.
Quidquid opum conclusa tulit seutentia verbis
Humana humanis, illic concrescere visum est,
Ut captos traheret mira dulcedine sensus.
Qnisque sibi ex ima promittens talia plebe,
Omnibus articnlis expletum, atque ungue poema
Transtulit in propria, et numeris lenire triremes
Damnavit miseras, ergastula ferricrepiua;
Qnin et vernaculis laniandum tradidit ustis.
Hæc ipso editio consessus Fnrfureorum
Permetuens, rebus statuit deducere snmmis
Perniciem exempli nil proficientis ad artem.
Ingenii nam vena tui, Torquate, redundans
Transiluit juste præscriptos denique fines;
Jamque, arte exhausta, naturæ limen ad ipsum
Exsuperans pleno leviter se sustulit amne.

Sic par naturæ procedis; major et arte,
Omnibus acceptus, sed non imitabilis ulli.
Atque ut nemo tuos imitatus inauiter ausus
Iret transversum, pressisve madesceret alis,
Furfurei proceres aliquid tibi demere famæ
Optârunt, domitam miserati 'gnaviter artem.
Utile consilium, quod jam celebrabitur æqua
Laude futurorum, si præsens abnuit ætas,
Et studio heroum cuncta hic humana refellit.
Nec mihi sit quidquam dubitare, aut tendere contra,
Teste Galilæo, vadibusque insignibus infra.
Sed quæ Torquatum tetigit censura, canorum
Ipsa Metastasium post multos debuit annos
Respicere, et numeris relevare a mollibus artem.
Quod vero infectum melioribus excidit, ore
Concordi explevit mire justissima vulgi
Vox, qua flexanimi, jocunde poeta, leporis
Per gentes etiam nunc *non imitabilis* audis.
Sic natura hominum subito fit mater acuti
Judicii, ceptisque bonis sapientia fida
Naturæ occurrit; sic consonat utraque semper.
Hæc ego dispiciens penitus, vir docte, notavi,
Quatenus ut pateat ratio sit debita verbis,
Ne res ornantis flaccescant agmine vestis.
Nunc age, si liceat, studiorum labe carentes
Quæramus pariter quanti conducere possit,
Postpositis verbis, rerum præsumere curam.
Jamque voluptatis causa cum tradita quæque
Ars fuerit fessis rerum mortalibus, est hinc
Quærere, quid semen sine germine proferet usquam,
Quod placeat cupide tractanti, aut sæpe videnti?
Verum oblectari consulto quæ petit, et vult
Floribus, atque coma viridi, mox tollere fructus
Utilibus monitis, per terras magna caterva est.
Sunt quos distineant inimica negotia; sunt quos
Officia exagitent levidensia munere; sunt et
Mœrentes penitus; sunt heu! parere coacti:
Sunt ægri ab venere, aut nummis, aut denique honore,
Proposita specie, medicinam haurire parati.
Anne voles refugo pœnam adjecisse pudori,
Illico deglutire ministrans utile semen,
Quod fructum, et frondes usto convolvit amictu?
Tolle modum, ægrotis quem nempe adhibere nefas est.

Pars non exigua est medicinæ velle salutem.
Quod tamen ingrato mille exundantia viro,
Sed laudata notis, narthecia protulit ætas,
Jura voluptatis ratio terrore malorum
Detulit ipsa sibi, jactataque tempore longo
Reddere cunctatur, præscripti lege favente.
Sed nunc discidium damnosum coticula æquet.
Res ratio vindex tutatur, verba voluptas.
Lexidiis porro tendens immittere pestem
Cum clamore gigas Pompeja prosilit Asta,
Occupat atque nova veteres ferrugine cultus.
Quantus honos rerum! majestas quanta cothurni!
Quam lethale ferit sententia jacta theatro
Fulminis in morem! quanto strepit ira furore!
Dimittor gelidus furiata mente, tyrannos
Exosus sine fine, agito perjuria, cædes:
Arma peto; populum invenio præ more, fideque
Optantem leges vacuas, et templa sine aris;
Huic ego me adjicio, faciemque invertere juris
Conamur simul, et pessum dare cuncta vetusta.
Pergo domum victor: natos, ipsamque maritam
Expedio, et famulos vinclis cohibentibus infra.
Vivo libens lætus vitam hanc, teneorque futura,
Quam pecus in pratis depascens immemor herbas.
Nil trepido exemplis post me referentibus orbem
Ad nihilum, aut pejus nihilo, mihi providus uni.
Quid simile, aut propius sceleratum verba tulerunt
Garrulitate levi, quæ plenis excidet annis,
Quum gravitas matura virum jam ceperit omnem?
Sed quæ mirificis illuc confisa tragœdis
Musa, comes furiarum, odiis regalibus egit,
Se levibus verbis minimum concedere dixit,
Nobilium rerum a prima studiosa juventa.
Quo factum est, ut mens verborum erumperet usque
Indocilis frænis, et nullo pectora motu
Afficeret, gaudens caput ipsum incessere flammis.
Ingens portentum, et longis mirabile seclis!
Corda tamen, quæso, quà fingit? quà juvat artem?
Nil magis huic tribuet sapiens a fulgure rerum,
Quam Tassus tulerit verborum ex ubere vena,
Atque Metastasius, gracilis citeria sexus.
Jam qui materni sermonis jura tuetur
Consessus procerum flavi de sedibus Arni

Justitiæ occurrat redeunti lætus; et almi
Principis auspiciis, Nicolino consule magno,
Ambiguos tollat fines, certosque refigat,
Partibus amotis, et lauro utrinque reducta,
Ne res officiant verbis, aut æmula rebus,
Sed junctis opibus prosint concorditer arti.
Tuque o, cui licuit propiori munere, Becchi,
Omnibus evince hoc nervis, studiisque juvari
Propositum, Italicæ quod pars est magna salutis.

v. 8-9. *qua Brunellescus* etc. Mentio hic incidit tum de tholo et turri Florentina, tum de præclaris utriusque conditoribus.

v. 11. *scyrpum*. In proverbio fuit *nodum in scyrpo quærere* iis notandis qui difficultates venantur in eo quod maxime explanatum est.

v. 54. *Quantus* etc. Quæ infra scripta sunt sera, inopique invidia disseri, lector, ne puta. Miramur et nos, quam quis alius, imo et amamus copiosum magni Torquati ingenium; sed artis pietate, poetam suavissimum ad heroas ablegamus.

v. 82. *Teste Galilæo* etc. Cœtus Furfureorum Galilæo Galileio, aliisque præclarissimis vigebat, qua tempestate in admirabile Torquati poema animadversum est.

v. 120. *præscripti:* præscriptio nempe *longi temporis*, ad modum juris civilis.

v. 124. *gigas*. Haud injuria Victorium Alfierium domo Asta Pompeja *gigantam* appellabimus, qui tragicis nostris, quam longe respicimus, toto vertice supereminet.

v. 159. *Nicolino*. Hæc carminibus concludebamus A. MDCCCXXXVI Jo. Baptista Nicolinio v. cl. Consule Summo Regii Cœtus Sodalium Furfureorum.

Digitized by Google

VIII. AD IOSEPHVM PELLEGRINIVM ADV. ADIVTOREM A NEGOTIIS REGIIS ETR.

DE PERSPICVITATE.

QUID crepat a quovis cœtu jactantior orbis
Enodem fecisse omnem se discipulinam?
Nempe unum hoc: sit perspicuus qui scribere quondam
Aggreditur; nihil a plano declinet, ut æqua
Indoctus, doctusque via referantur eòdem.
Hoc passim auscultans, o Pellegrine, meorum
Culmen amicorum, studio quos Felsina junxit,
Servavitque pari, nonne irascere superba
Voce lacessitus, quæ suffragatur ineptis,
Ingenioque bonos sub turpia pondera mittit?
Archilochea gravi convicia dirige jactu,
Eja age; et infestos sapientibus ardeliones
Rursus humum ingratam fac tangere: dic alienis
Neminem adhuc validum pennis potuisse volare:
Dic sine pervigili cura, pulsuque fideli
Neminem adhuc clausæ venisse in templa Minervæ.
Namque labor gestis superimminet omnibus, ut sit
Sal rerum, et merces recte quæsita merendo:
Qui, dulcem efficiens aceroso in pane saporem,
Agricolam beat exhaustum sudoribus. An non
Vulgus inurbanum quæ novit, singula calcat
Quottidie novitatis amans, calamoque sequaces
Scriptores fama damnat finire diurna?
Est etenim quò perspicuis ratione licessit
Hinc atque hinc liquida consistere. Strenua porro
Ars nimis illa foret, quæ scripto æquare virorum
Mensuram apprime sapientum sola valeret,
Contemptis aliis: minus autem strenua nobis
Ars audire volet quæ se substernere cuique
Non dubitat, lixis et promercalis haberi.
Attamen est medium fastigia quod procul ista
Spectat, et has latebras humanæ conditionis.
Illic se statuat scriptor, mediocribus ut sit
Perspicuus; quod si tenuit, fert primus honores,
Doctrina exclusis vulgaribus, usque paratis
Infirmare probro veteres, et laude recentes. *)
Qui puer in mensa ludens exstruxit acervum,
Alterum ab alterius quem grana, aut scutula nexu

Digitized by Google

Sustentant, superimpositis studiosius æquo
Dum vacat, ipse ruit cumulo; quique optima parce
Jungeret ædificans, simul omnia perdit agendo.
Hoc humili exemplo quos, Pellegrine, notamus
Scis idem, gravibusque potes compescere verbis.
Interea raptas nos conclamabimus aras,
Atque focos omnes; Musarum numina læsa;
Ante sues lentos projecta monilia: vel si
Ramicibus ruptis nos accidat inde jacere.

*) Hæc tum a pluribus, tum denique ab Josepho Bergonzio medico apud Sammarinienses celebratissimo æqui bonique fieri lætabamur, quum de præmaturo ejus interitu certiores facti, elegos nonnullos condere debuerimus, nomine, instantiaque Hagnes Antaldiæ march. Belluzzio com. nuptæ, quæ Bergonzii opem difficillima ægrotatione paullo ante præsentissimam senserat. Elegos eos hic habeto:

Nam quæ sors ægros pariter, doctumque mederi
  Occupat, a studiis impia facta piis?
En ego, velocis pallens discrimine leti,
  Quæ canerem laudes convalitura tuas,
Cogor ego versis tua flere ad funera fatis,
  Te misere ammisso, non bene viva mihi:
Qui graviter sapiens, qui servantissimus æqui,
  Et fueras castæ cultor amicitiæ.
Sed locus hic, luctu ingenti qui personat intus,
  Hospitio vacuus vir memorande tuo,
Sæpe sonare volet meritorum voce tuorum,
  Non intermissis fletibus accumulans
Hoc, tibi quod vitæ nimium constanter amaræ
  Experiens Hagne dedicat officium.

Digitized by Google

VIIII. AD CAPITOLINVM MVTTIVM

EQ. ADV. AD NEGOTIA REGIA PER ETRVRIAM.

DE RE LVDICRA.

Ab Capitolini redeuntem limine Mutti,
Unde per Etruscas resoluta negotia gentes
Usque viam invenient qua fas, et jura præibunt,
Musa volatilibus me flammis occupat audax,
Suspensa passim dum quæro scire tabella,
Queis, et quæ pateant spectacula magna theatris.
Injocunda nimis succurrit fabula ubique:
« Clara Rosenbergi miseranda puella dynastæ »
« Anticone infelix » Romeo mox quoque casto
Julitta immoriens » lacrymosæ sidera scenæ.
Nam quis agit furor, effuso velut imbre malorum,
Qui tetigit graviter privata, et publica quæque,
Confictas etiam ærumnas proponere, et ipsa
Sede voluptatum curis flagrantibus angi?
Heus ubi lætificans Goldonius? heus ubi Tonsor
Hispalis ille procax? O consultissime Mutti,
(A te digressum nam me tibi Musa resignat)
Sunt gemini fontes risu, fletuque soluto,
Quos alternatim nunc odit, nunc amat orbis
Usque furens, servare modum nam nesciet unquam:
Jamdudum a fletu sibi prospicit, efferus haustu
Hydrops, cui victus Victor concesserit Ugo
Ipse, ministrando minimum pincerna pudicus.
Hæ lacrymæ simul ac scena, plausuque profectæ
Intravere domos, mœrent vacuata cachinnis
Omnia: quidquid agunt pueri dulce, atque jocosum
Undecumque odio venit: aspera ruminat ipsa
In thalamis conjux, habituque interrita mœsto
Conturbat miti quæ relligione sacravit
Lætus Amor, læta promittens prole coronam.
Egregiis ex hinc scriptores laudibus aucti
Inflantur, magno ponentes carmina, quando
Omnibus a podiis potuere evincere ad imum
Scamnum infelices lacrymas, gemitusque videntûm.
Porro aut ignorant, aut contemnunt quod oportet
Præcipue servare probatis legibus artis.
Magnum est discrimen cogasne, an sponte sequentem
Duxeris ad lacrymas: alapam qui sensit inuri

Digitized by Google

Certe indignatus flebit: date serta merenti
Qui novit dnros inopino diruere ictu.
Attamen ars periit, natura quæ nihil usquam
Discrepuit, captis nec torcularia cruda
Cordibus admovit, rerum feritate novarum:
Sed nitida interpres illæso vadere semper
Arbitrio spectantis amavit; et obvia visu
Exornans, placidos vitæ deflexit ad usus
Virtutem ardenti transvectam ad sidera telo,
Aut tepidam oblita jnssit revirescere flamma:
Undique civiles quærens sarcire ruinas,
Atque genus totum suspendere lancibus æquis.
Qui nunc invadit spatiosæ pulpita scenæ,
Comicus ad soccos magna spe scriptor adactus,
Materiæ primum lacrymosæ sollicitus fit,
Deinde parat nodos obscura nocte latentes,
Et procul humana specie, ne dum vice, et usu.
Eventus vero velis obducere non est,
Tegmine sed rigido jam lyncibus eripere ipsis;
Ut casu perculsa gravi creberrima turba
Obstupeat, placidæque bibens fastidia vitæ,
Diligat insomnes jactata, et naufraga curas,
Fortunæ secum tentare incerta volutet.
Huc stimulans auctor (sublato poscimus omni
Aut studio, aut odio) tristin' dominarier ævo,
Officioque suo fungi dicetur aperte?
Nequaquam: nec enim, ignotas quia visere terras
Neminem, et externos mores, et noscere linguas
Forte malum est, satius fuerit discrimine longo
Cuncta propagatis implere erroribus olim,
Atque levi fumo adversis ab finibus orbem
Convectare mari, terraque licentius æquo.
Si vigilant omnes, tutus quis dormiet, ipse
Expergiscendus, cum res, et tempora poscant?
Si peregrinatur totis urbs advena vivis,
Qui status intus erit, quæ prolis cura, reique?
Aut nimium cicures ritu nos venimus illuc,
Unde Scythæ plaustris sumpsere vagantibus orsa?
Disce, levis scriptor, vacuæ suffragia turbæ
Dum captas, tua quò rapiat producta theatro
Fabula, communis quæ dissidet ordine vitæ.
Sed prope lethali quæ comicus obtulit ausu,
Indulgere licet tragico præcepta tenenti,

Queis obluctatur passim malesana libido.
Primus Aristoteles naturæ optavit amice
Conseruisse modos veri mirabilis, ut res
Adducta ad miserum terrorem, fine reperto,
Sisteret, et mortis scelus ipsum averteret imas
Ad latebras procul, et tristis penetralia scenæ.
Observata diu direxit regula nostros,
Sanguineis donec furiata Lutetia turmis
Heu nimium verum, et visu crudele, nefasta
Regis cæde sui, spectaclum protulit omni
Europæ, refluis quo Sequana inhorruit undis.
Ex illo superat rabidi sententia vulgi,
Qui regem, et proceres hostiliter urgere pergens
Immortali odio, petiit vehementius, ut res
Turpis adhuc scenis, placitos mors iret in usus,
Atque iterata palam sensus obtunderet omnes.
Quid refert, si mutus eques discordat, et ore
Exsangui juvenis de ludo rhetoris ausus
Nunc primum vasti caveas intrare theatri?
Sed laudat lanio, sed miles missus honeste
Plurimus adplaudit, cui pulsa sedilia rumpens
Undique responsat balatronum insana caterva.
Alfieri, tragico lusu admirande (parentem
Ausonii te namque cothurni; te gravis aulæ
Callentem mores malenatos; te referendum
Heroes inter non una voce fatemur)
Aeschile, vel Sophocles seros redivive per annos,
Ludicra ad verum perduci unquamne putasses
Crimen, et effusa fœdari fæce theatra?
Attamen hæc magno populorum, orbisque tumultu
Quandoquidem evenere, manentque minaciter extra
Fines acta suos fraus, virtus, fasque, nefasque,
Si foret in terris humilem vitam hanc tibi reddi,
Queis numeris, vel quo tentares tramite famam?
Certe introspiciens tumidi contagia secli,
Mulceres aliis civiles sensibus iras,
Aut sophus ipse tui dominator forte taceres;
Dum magis atque magis properando fert opus, et res
Conciliare animos populorum regibus almis,
Ne caput infesto stet jure diutius infra
Membrorum sortem, sed subdita membra placenti
Ore supervolitans, virtutem sumat ab alto:
Sitque pater pueris rex, nec jam vitricus exsors

Arctandus pactis, manco malefidus amore.
Quæ simul intrârint divino munere mentes,
Paullatim excurrent furiæ, tristesque malorum
Deliciæ, queis cœna minus sapit, orbe theatri
Ni spectent quovis demessum vespere regem.
Tunc series, falso plerumque ab nomine rerum,
Concedet meritis feliciter; et bona jura
Corde volent, nec jam scripto servarier; omnis
Nec sapor actorum vanescet murmure vano.
Tunc digna gravitate parentibus, atque magistris
Adjicietur honos, et amor: nam sponte minores
Quod stabile inveniunt, juste venerantur, amantque.
Mox si quando genus pro veris ficta rependi
Oppositis jubeat rationibus, indole nota,
Sit sapiens vates hoc sal qui spargat abunde,
Nec plane inverso prosternat cuncta salino.
Cumque iterum inflato trepidârint pectore turbæ,
Carminibus blandis caute refrigeret. An quod
Magnanimus mira Bonarotius extulit arte
Ossibus, et nervis rigidum, non debuit apto
Tempore Canovæ teretis mitescere scalpro?
Tempus idem hoc scenis demitti sæpe rogamus,
Et pertentato vicinum sensimus ortu.
Prodeat o utinam! dum miti Etruria gaudet
Principe; dum placidis florent commercia terris,
Atque mari; nec lucrifico Labrone petito
Gentibus omnigenis, jam sufficit ambitus urbis.
Dum, Capitoline, utilibus præponis honesta
Regius ipse pio patronus munere; et acri
Judicio vincens civilia jurgia, monstras,
Rerum fata viros delere, aut tollere nunquam,
Sed posse interdum virtute, fideque morari.

v. 8. *Clara* etc. Inter anxiferas fabulas, Italorum studiis vigent: *Chiara di Rosenberg* — *Antigone* — *Romeo e Giulietta* —

v. 15. *Goldonius* etc. Ab omni naturæ ingenuitate, morumque festivitate abhorrere oportet eum, cui Terentius hic temporis sui receptissimus tædium intulerit: quemadmodum et fabella illa — *il Barbiere di Siviglia* — ab Joachimo Rossinio musicis, eisque suavissimis modis conclusa.

v. 22. *Victor . . . . Ugo*. Tragicus novi, magnique nominis apud Gallos, cui ferrum et venena, vis et insidiæ, profana quælibet sacris admixtis vix sufficiant, ad terrorem excitandum.

v. 69. *levi fumo* etc. Hoc innuimus eas quas nostri appellant

Digitized by Google

machine a vapore.
v. 76. *Scythæ* etc. v. Hor. Od. xxIII. lib. III.
v. 150. *Labrone* etc. Munificentia Leopoldi II. **Principis optimi**, **Labronis mœnia ampliore laxata circuitu, commoda, et frequentiam augebunt civium, et exterorum, accessione portus ex universa** Italia celebratissimi.

I. AD DIONYSIVM STROCCHIVM EQ. V. CL.

DE AVREA AETATE.

O decus Aemiliæ, Dionysi, maxime rhetor
Tempore difficili, cui sedula cura sagaci
Judicio, triplicem docto dedit ore loquelam
Fundere (cum Græcis nam conjunxisse Latina
In primis sollemne fuit tibi, Χρημαque, et aurum
Fontibus a geminis Italæ superaddere linguæ)
Miraris mecum forte et tu, tradita chartis
Dum legis antiqui bona temporis orbe pudico.
Serpentum morsus nulli, statioque luporum
Inter oves erat absque dolis: stillantia melle
Robora, nectareo rivi de lacte fluentes:
Per campos mora grata Deûm; fas, jura, fidesque
Virginis Astreæ vestigia pone sequentes:
Omnia fausta viris cæli, terræque tenore.
Dum tamen exquiro toties fabella relata
Quos habeat sensus, capio sic. Aurea terris
Secula semper erunt, divino libera quando
Ingenia afflatu genus imum respicere optent;
Et quæ nobilibus studiis cælestia pulsant,
Humanis habitu vitæ se sortibus æquent.
Gaudet enim genus omne viro, qui laude beati
Exeat ingenii sic splendidus, ut mediocres
Suscitet exemplo, faciatque diutius ipsos
Spe pasci, ut valeant imitando æquare volantem.
Certe aut desidiæ, aut miseras quatientibus urbes
Motibus indulgent minime, qui sponte lucerna
Ante diem posita, aut infuso sole, per umbras
Guttatim expromunt, pleno quod flumine felix
Mens tulit, atque omnes sacratum exstruxit in annos:
Sed qui se cupidis imitandum ponere vivis
Aut renuit, aut jam nihili putat, is licet astra
Conscendat, proprioque loco spectabilis inter

Digitized by Google

Emicet heroas magnos; tamen Οςρακισμον
Ipse libens merito sibi sumat ab omnibns oris,
Conciliisqne hominnm, non utile sidus, et ureus.
Nam negat ille suis, veteri quod munere Divi
Concessere, humiles turbæ mortalis amore.
Infra igitur sortemque virûm, sortemque Deorum
Invidus idem agitat vitam, male certus amari
Post obitus, cunctis stupide mirantibus ausum
Ultra naturæ fiues procedere notos.
Ast ipsum hoc generi quod uou tribnere libenter
Ingenia humauo, ad syrtes damnata referri,
Plebs, numero ducens aliquod sibi poudus inesse,
Legibus impositis voluit couteudere frustra.
Ac si pumilio, quem nolit ferre gigantum
Editior tumidum trans flumen, cogere certet
Ut faciat, stricto manibus, pedibusque rudente.
Stulte quid iusanis? si parvo viucula uisu
Disjiciat, qna vi captabis iuire negantem?
Sic grex insipiens mediocris limite vitæ
Conclusus, quoties motu dare jura superbo
Cogitet ingeuiis, toties elusa dolebit
Legis vincla suæ, ceu dura edeutulus ossa.
En quid agat? lacrymis tentârit, vel prece multa?
Nil mage proficiet. Laxa qui forte carina
Opperit iu sicco reparantes Tethyos æstus,
An votis, precibnsque, et jactis sæpe querelis
Exiguum positæ momeutum detrahet horæ?
Haudquaquam. Nec res aliter se præbet habendam,
Desipientibns ingeniis, simul ordiue verso
Naturæ, et legum. Si deflua uubila Phœbus
Excepit semper, vel uos spem corde benignam
Snscipere est æquum, fore taudem, ut mentibus acer
Deficiat stimulus, longisque educta teuebris
Cum ratione bona felix uatura triumphet.
Suavia cum studiis tuuc otia jungere honestis
Ingenia optabunt, parceque edocta volando
Prodire, ætatem ex auro radiaute reponent.
Tunc quicumqne feret facilis nova dona Camœnæ,
Humani memor hospitii, cousorsque Deorum,
Huuc nos, hunc prona præsentem meute colemus,
Exemplo fidi longis et amabimus annis.

v. 5. Græca vox: lat. *opes*.
v. 33. Græca vox: lat. *ostracismum*.

Digitized by Google

XI. AD MAVRITIVM BRIGHENTIVM
SVMMVM CVRATOREM AQVAR. ET VIAR. PROV. FOROLIV.

DE NOBILITATE GENERIS.

Quod me cura recens pervasit, amice, sciendi
Quæ generi præclara meo ducatur origo,
Est qui plus nimio studiosus laudat, et est qui
Plus nimio ridet, circumscribendus uterque.
Nam si principio rem sumimus, exilit omnis
Nobilitas specie socialis fœderis ipsa,
Quæ vires animi, tum corporis officiose
Curvat, nec perimit, communis amore salutis.
Quod tamen excellit juste admiramur, et ictu
Erigimur, ceu bos stimulo per iniqua viarum.
Hoc licet Herculeis haurire laboribus, olim
Sive illos totidem numero, seu maximus unus
Exantlat, vario jam nunc sermone nepotum:
Atque Atlante juvat firmare, et sic Zoroastro
Τρισμεγιστῳ, atque aliis, quos extulit ingenii vis
Supra vulgus iners, scrutantes viscera rerum.
Hos etenim major natura eduxit ab imo,
Aut melior Deus ad terras demisit, ut essent
Inter se, et turmas mortales dimidiati,
Et procul exemplis ardentibus usque minores
Jam spe, jamque metu cælum spectare juberent,
Ad bene carpendum nociture pabula vitæ.
Sic qui pulsat aves pennis sublime secantes,
Ictibus antevolat, certe ut configat; et alte
Suspicit a medio siquis scopus editur infra.
Palantes venamur enim quo quisque labore,
Aut quo quisque statu fortunæ, quove tumultu,
Denique vivendi teneamus fortiter artem.
Sed quia nos pueri vestigia matris amando,
Tutius, ac melius servamus forte sequentes;
Et quia nostra magis nos tangunt, optima visa est
Conditio, ut natis tituli virtutis avitæ
Subjiciantur imaginibus, partisque trophæis.
Nam si quando petant exempla domestica, vivis
Protinus occurrent imitanda, et amanda per ævum.
Nequicquam egregiæ speramus præmia palmæ
Vel patrios intra muros cum laude, vel extra,

Digitized by Google

Ni præcurrat Amor, rapiatque hærentia metis,
Acer Amor qui magna refert, majoraque monstrat.
Haud aliter Brutos veteres crevisse putandum est,
Scipiadas, Catulos, Fabios, clarosque Metellos,
Alter ab alterius qui fama sumere nervos
Consuevere, gradu ne sessilis inferiore
Quis fuerit, nomenque toga vulgare, vel armis.
Sed cum cessantes ipsi obstupuere nepotes
Atria majorum, et magno tabularia censu,
Nil cupidi antiquæ laudis, sed laude parentum
Usque novis vitiis studiosi obtendere velum,
Tunc ruit omnis honor fastis conclusus avitis:
Nam quod dedecoris latitaret plebe scelesta
Divitiæ retegunt, et laxo fama cucullo.
Hinc quo nobilior quis prodiit, infimus idem
Tangit humum, et limo submersus conditur æquo.
Heu quoties redeunt spectacula tristia nobis!
Fortuna mutante domos, dominosque domorum,
Et quod pejus olet, mores vertente vetustos.
Est tamen e magna doctorum gente recentûm
Qui clamat: nîl cum damno discriminis esse,
Nobilitas nummata ex hoc si migret ad illum:
Ac si de viridi silva deducitur arbor,
Atque alia erumpit ramis, et fronde decora.
Nos contra arguimus, prima vix fronte negantes
Esse ita: nam genus, et nummi cum fortuito sint,
Res veniet propriis a moribus expendenda.
Siquis habet fundum quem credere cogitet ulli
Agricolæ, num det temere, aut discrimine parvo
Inter sollertem, atque ignavum? Absiste vereri.
Pessum aget ignavus quæ sollers excolet arva,
Prospiciens domino, atque sibi partoque, fideque.
Contigit hoc opibus, quæ si notamque, probamque
Invenere manum, socia virtute juvabunt
Et dominum, et famulos, heredes denique, et urbem.
Vilescent aliter gerulis ignobile pondus,
Aut vitio utentis damnosi sæpe nocebunt,
Quin regna, et totum subvertent funditus orbem.
Res patet, et multas duxit, ducetque ruinas:
Nam pravis ubicumque locum fecere furores
Turbarum, polluta fides prior ordine cessit,
Postea nobilitas, et causa potissima motus,
Divitiæ, pretium de nobilitate ferentes.

Anglia sic periit primum, sic Gallia posthac,
Sic etiam Ausonia externis contermina flammis.
Nunc spatium invadit motis Hispania castris,
Et marte incerto civilia conserit arma.
Exitus ecquis erit? similis fortuna referre
Persuadet similem, nî causa effectus aberret.
Tollite terrarum confinia, tollite aquarum,
Et gemina adversi concurrant cornua mundi,
Ut pateat breviter superentne immanibus ausis
Monstra virûm, an gelidis Alcides missus ab ursis,
Cui pietas, cui nobilitas re fulta, fidesque
Ducant insignes renovato ex orbe triumphos.
  Tu per ephemeridas venabere, dulcis amice,
Quid ferat unda novi, dum litus pulsat; adepto
Cedere quem campo potiorem compulerit vis
Cras cessura dolis, patriæ devota ruenti.
Me permitte mihi securum finis, et imo
Quærentem scamno; si possim forte reperta
Nobilitate domus, quam dat Florentia mater,
Nec nimis inflatus, jam nec dejectus honore,
Ingenuam studiis Musarum adjungere laudem.

v. 15. Græca vox: lat. *Trismegisto.* Aut Zoroastro, aut Mercurio Ægyptii veteres vulgatum illud *trismegisti*, quod est *ter maximi*, prædicatum ob sapientiam plane admirabilem tribuerunt.

v. 43. *sessilis* etc. Romæ in amphitheatro orchestram Senatores obtinebant: deinde gradus quatuordecim equitibus destinabantur, plebejis infra sedentibus.

v. 81. *Anglia* etc. Hæc longe respiciunt Anglicanas calamitates, et propius tum Gallicas, tum Italicas exeuntis sæculi xviiI, conjectura ab his circa recentiores Hispanicas ducta.

v. 98-99. *reperta nobilitate* etc. Domus Ferrucciorum, exilio sponte suscepto, post rerum Florentinarum conversionem an. M. D. XXXI, in Æmilia inferiori diu versata est; donec avita Florentinæ nobilitatis jura recepit, Leopoldo iI. M. Duce Etruriæ juste deferente, per rescriptum, quod dat. est xiiI. Kal. Jun. A. MD CCCXXXVI; nempe XI. fere mensibus, ex quo Deus opt. max. votorum compos factus tum Principis benignissimi, tum Etruriæ totius, Virilem Prolem regio thalamo indulserat, quam nos ode hac genethliaca prosecuti tunc fuimus:

Nam quæ frequentis causa recens sonum
Clamore turbæ lætifico ciet,
Tectisque totam educit urbem,
Nec tacitam sinit ire noctem?
Nosco Virili didita gaudia
De Prole Magni Principis, et Domus
Spe suscitata, persolutis
Tot procerum, populique votis.
Nempe ille tandem se Puer attulit
Qui fata firmet mitis Etruriæ,
Qui regna producat per ævum,
Borbonidum, Austriacusque sanguis.
Hunc ab Sorore, Hunc annuit alterum
Largitus apto consilio Deus
Post lumen Auroræ rubentis
Qui rutilum facit ire Solem.
Qui pace rerum gentibus edita,
Sacrisque fido tempore regibus,
Et fas, et usus, et secundos
Mox etiam reparabit annos,
Cum tota cœtu stirps hominum pio
Pendere visa est, arbitrio senum,
Jugumque portaret juventus
Imperio docilis parentum:
Licentiosus nec peteret gero,
Quo jure magnas alter opes tenet,
Plerumque iniqua lance summos
Ad pretium retrahens honores.
Tunc obligata constiterat fide
Securus orbis, nec sibi quispiam
Quidquam receptum, vel negatum
Ad Superos metuit referre.
Et seu quietum publica res statum
Servaret, insons mente, tulit boni
Quod rura donavere, et urbes
Dissidiis gravibus carentes:
Seu pertinaci bella forent vice,
Orare pacem non renuit Deum
Utrinque tutus; mox cruentos
Fratribus indoluit triumphos.
Demissam ab alto suscipere hanc novi
Libenter ævi Spem liceat viris;
Quàcumque et exhaustos recenti
Condere lætitia dolores.
Hinc se fideli prodat imagine
Josephus acri judicio potens;

Digitized by Google

Et jura qui moresque servat,
Legifer hinc Leopoldus exstet.
Hic providentem suspiciant Avum
Tusci, hic serena lumen amabile
De fronte, et humanis benignum
A studiis animum Parentis.
Sed risum, et oris præcipue tamen,
Augusta Conjux, alloquium tui,
Summos, et imos quo clientum
Urbe simul recreas, et aula.

XII. AD IOS. LEONARDVM Filivm

DE OBEDIENTIA.

O gentis spes prima meæ, Leonarde, quid est hoc
Deperiens quod avus, quod avunculus ipse, amitæque
Ingenuum, atque pium te dicunt, ingeniosum;
Argutumque, ut pullus equæ, mirantur amici,
Et noti; sed te mandata facessere, id una
Voce negant omnes, haud parvo angore parentum?
Bertoldus, Bertoldillus, tum tertius horum
Qui gravior sapiens doctrinam effudit ab alvo,
Consensere omnes puero nîl turpius esse
Quam male parentes præbere jubentibus aures.
Scis ipse humanum genus omne hac labe perisse,
Dum contra vetitum primi optavere parentes
Infelix pomum: scis prompta mente quid Abrâm,
Quid tulerit patiens Isâc, benedictus uterque
Semine natorum cæli super astra, et arenas
Aequoris hunc nostrum cohibentis fontibus orbem.
Scis etiam quantum ipsa boni fert prona voluntas,
Aligeri comitis jussum faciente Tobia,
Qui puer immanem violento ab Tigride piscem
Traxit agens, oculisque salutare eripuit fel
Jamdudum cœci non æqua sorte parentis.
Verum age, damnoso quod te deterreat usu,
Audi, nate, mihi trepidanti somnium obortum
Nocte pruinosa, lente volventibus astris.
Ibat avus celso spatiatus margine ripæ,
Subtus aquam rapide torrens lutulentus agebat.
Te primum ad latus illius prodire videbam,
Deinde palam irruere, et longo præcedere tractu;

Quin tentare ipsum ripæ declive, ruina
Deficientis humi : sed avum revocare periclis
Jam raptum mediis, donec te vortice magno
Pappe, quidem frustra, clamantem absorbuit unda.
Me dolor in saxum vertit tibi dira timentem
A somno, et visis etiam nunc terreor atris.
Quare ne veros aliquando incendere luctus
Contingat, tibi propositas imitare sorores
Aut Lauram, aut Sophien, quas laudat quisque suorum
Morigeras, alacres absolvere quidquid agendum
Præcipias; ac si faciendi mente parata
Serius exisset mandatum a voce jubentis.

XIII. AD ANTONILLVM NEPOTEM EX FRATRE

DE AMANDA DOMO.

Antonille, decor puerorum, lausque parentum,
Callens historias, scriptumque ferentibus orbem
Linteolis tenui loca quælibet ungue notare;
Discessu mihi nempe tuus pater, et tua mater
Mœstitiam intulerunt; sed tu me (namque fatebor)
Flere facis, metuentem abducto oblivia dulcis
Innasci patriæ, rerumque a stirpe tuarum.
Jamque placere minus devexi post juga Juræ
Optavique lacum, et doctæ depressa Genevæ
Mœnia, et ambiguas Rhodani revolubilis undas.
Dic age, care nepos, memorem servabis amorem
Italiæ, et patriæ, quas nunc post terga relinquis?
Servabis patrui?.. sed avum, mellite, domumque
Corde geres, quam corde gerit te quisque tuorum?
Siquem isthuc videas blanditum forte puello;
Sic, dices, mihi fecit avus, sic fecerit olim.
Si videas campos cum messibus; et mihi campi
Sunt, dices, cum messe mea, sunt gramina, sunt et
Pascentes pecudes. Si magno culmine montes,
Fagus ubi, atque abies vigeant, et plurima quercus,
Porrecta quondam te majestate tenebunt;
Tunc virides subeant colles, tutique recessus
Felsinei, et sparsos tuba quæ concivit amicos.
Sed tu, si pacem rerum, fundataque jura
Pectoribus cernes, quid, macte, reponere possis?

Credo ego lacrymulas: annos ætatis iniquæ
Culpando graviter, diris præeuntibus astris,
Mutatas sortes doctrinæ; nulla minorum
Fræna; luem misere exstantem terraque, marique
Barbigeros vappas, atque omni ex ordine vulgus.

v. 4. *pater* etc. Michael nempe Ferruccius doctor literarum Latinarum Genevæ in Acad. et Catharina Franceschia uxor ejus, dulcia capita, quorum desiderio cum propinquis et amicis absens contabesco. Porro in gratiam gloris omni literatura excultissimæ has emisi nænias jam ab anno MDCCCXXXV.

Septima lux oriens Augusto mense nefasta
  Accidit, heu pueri morte notata tui:
Septima at hæc eadem vertente relabitur anno
  Mœsta nimis, nati funere fœda mei.
Ætate anniculus vix ne vix defit uterque
  Franciscus, veteris nomine dictus Avi.
Communis luctus fas non est quærere causam:
  Qui dedit idem æquo sustulit arbitrio.
Aut vitium est ipso puerorum in nomine, fama
  Ne leviter misero tempore tanta sonet.

Sed Franciscum meum hoc ego sub marmore composui:

ABSENTEM . DVM . ME . FLORENTIA . MATER . AVORVM
DETINET . ANNICVLVS . PROH . DOLOR . ERIPERIS
FRANCISCE . VT . MONEAS . DECEDENS . ORDINE . QVARTVS
QVAM . LEVE . SIT . FLVXIS . REBVS . HABERE . FIDEM

v. 23. *tuba.* Mos est rusticantium Bononiensium, abnormi quodam velut infundibulo vocem emittere, quæ ad villaticam domum longe lateque digressos revocet.

XIIII. AD VINCENTIVM VALORANVM MEDICVM NOBILISSIMVM

DE SENECTVTE OBSERVANDA.

O Valorane pari studio complexe Camœnas,
Quidquid et ad medicos usus deprompsit Hygia,
Morborum, et longæ sic prudens artis, ut ægrum
Morem natura, naturam more rependas;
Si florere diu viridi queat arbor honore
Infirma radice tenax minus, hac ratione
Humanum genus ad seros feliciter annos
Credo ego venturum, despecta sorte senectæ.
Turbatis nam rebus eo devenimus, ut vix
Sit perferre viros senii gravitate labantes,
Quos venerabatur merito gens quælibet ante.
Scilicet immemori dilapsum est mente, fuisse
Rite novum quod nunc pulsamus forte vetustum:
Et nisi mors adsit præcox, eadem ipsa manere
Fata juventutis fidentem flore fugacis.
Nam quæ stultitia est vivorum ætate recentum,
Tempora canitie sibi dura, et fœda parare,
Si redit exemplo quidquid malus invehit auctor?
Jam sollemne fuit pueris, ubi grandior ævo
Prodiret dictis, acta pendere corona,
Et servanda diu secum documenta referre.
Nunc risu excipitur si quis vult tollere vocem,
Atque novos mores studet emendare vetustis.
Quin medio arguitur sermone, elusus inanem
Ut fleat intentum qui vivos ordine gestit
Excutere ætatis, laudans antiqua. Probatum
Nulla fides facit exemplum: jamque ipsa jubetur
Historia obtritas fabellas inter abire.
Talibus erumpens effatis publica labes
Regnorum, et regum voluit damnare senectam.
Optavit leges formandis moribus, extra
Fas, et naturam: civilem invertit acervum
Ocyus, et cumulo jussit constare subacto.
Mente volutavit socialis somnia pacti,
Et cupide ad veros aliquando transtulit usus.
Tempus erat quo vita hominum discrimine visa est
Exiguo præstare feris; quin forte minorem
Se gerere, ad tacitas turpi rationis abusu

Confugiens fraudes, ubi vis defecit aperta.
Tunc via facta odiis; tunc sævo murmure rixæ;
Tristia tunc motu certamina quottidiano;
Ut quæ tutandis rebus vis protinus esset
Consociata, eadem truculentis cædibus, atque
Dissidiis collata videri posset alendis.
Credibile est regem præsens fecisse periclum,
Jam qui consilio, jam qui potiore lacerto
Congenitos hominum conventu extingueret hostes.
Haud secus in magna rerum, morumque ruina
Perpetuus semper dictator compede nulla
Exstitit, inque fidem pro summa sponte salute
Accepit populum, gestis prope numen, et ore
Demissum ad terras. Regem nunc, aut alioqui
Præcipuum imperio jam nulla pericula rerum
Efficient, sed, dante Deo sapientius orbi,
Invenient alacrem reditura pericula regem.
Hanc de rege fidem, vel dictatore levantes
Iidem cuncta viris ponunt concordia primis,
Luctificum contra factum, monumentaque facti.
Judicio istorum nulla est clarissima virtus;
Nusquam propositum, nusquam prudentia major
Ordine volvendis rebus: vix denique debet
Esse locus vivos inter senioribus ægris,
Nequicquam cautos quos experientia fecit,
Omnia quos docuit mora temporis. An quoque Ceæ
Conditio accedet penitus miserabilis urbis?
Nam periisse senes per mutua dona cicutæ
Illic expediit sollemniter. Hos holophantas
Jamdudum auscultat liquida potamante furentes
Mobilis ingenio plebs; atque inimica sedendi
Plurima se lateri, et tergo constipat, ovatque.
Nulla tamen longis res publica firmior annis
Constitit, assiduo quam quæ coluisset honore
Longævos hominum: jamque hinc Lacedæmona ferri
Legimus insignem, validæque obsistere Romæ.
Legimus ipsam urbem Capitolî nobilis arce
Tellurem tenuisse diu sine fine patentem,
Jura potestatis patriæ servante suorum
Progenie, et rigidam obseqniis comitante senectam.
Scriptum erat, et sanctum = coram consurgite canis:
Observate senes, ex nobis namque senescunt =
Ante etiam Spartam, atque altæ magnalia Romæ;

Ante et Aricini quam sit sententia Turni
Audita in cœtu procerum, Incoque Latino.
Namque brevi spatio qui non reveretur, amatque
Canitiem seniorum, idem impius audet habenas
Detrectare patris, tollens radicitus omnem,
Exemplo pejora trahenti, urbemque, domumque.
Vobiscum hoc, juvenes, agitate; et more pudico
Vincite quos furiosa licentia suscitat æstus.
Hic mihi Curtius alter erit, qui se dare pronum
Audeat; inque viis, inque ipsa fronte malorum
Procidat ante senes: humili nam fenus in actu est,
Et mensura viros decursu temporis æquat.

v. 65. *An quoque Ceæ* etc. Videsis Aelianum lib. III.
v. 80-81. Levit. XVIIII. 32. Eccl. VIII. 7.
v. 83. *Aricini .... sententia Turni.* Videsis T. Livium. Dec. I. lib. I.

XV. AD CINCINNATVM BARVZZIVM EQ.

DE IMAGINE ANAGLYPTA
ANTONII CODRONCHII ARCHIEP. RAVENNAT.

SIQUA unquam adjecta Polycleti, et Mentoris arte
Virtutem ornâsti meritis ardentibus, hoc te,
Cincinnate, adeo fecisse fideliter isti
Et reor, et socio vatum tibi gratulor æstu.
Agnosco en oculos, et dignum principe vultum,
Mitis ubi juncta stat majestate voluntas;
Et mecum agnoscit viventem quisquis amavit,
Excoluitque Senem, precibusve expertus amicum est.
Sic tibi, sic geminas devincis strenuus urbes,
Cornelique Forum tanto quod cive superbit,
Atque opibus magnis ipso indulgente Ravennam
Erectam, et dura de conditione receptam:
Ex quo prætrepidæ sociatus adhæsit honore
Pontificis, sed amore patris, bene notus utroque.
An memorem quid paupertas pudibunda, quid ægri
Rettulerint ab eo, vel quid deserta senectus
Languida, vel caro viduatæ conjuge matres,
Atque opportuna suffultæ dote puellæ,
Ne pudor emptori succumberet actus in arctum?
Anne feram quid per longos impenderit annos,

Ut starent veteris monumenta refecta decoris,
Et foret hospitibus jam nunc veneranda Ravenna
Marmore templorum, musivis, denique et ipso
Principis ore pii, rebusque viriliter actis:
Utque bonis ~~magnus~~ favor artibus esset apud nos
Fertilis ingenii, quas, more ~~potentis~~ amici, fidelis
Secum esse, et propria discumbere jussit in aula?
Hæc alii curent verbis æquare, Codronchi
Totus ego adspectu in sancto majora relatis
Et cerno, et laudo, quæ vulgus mobile vellet
Discere, quæque omni studiorum fraude remota
Si veneraretur mecum!, quoque discere posset.
Sed mihi cum vulgo quid rerum, vel tibi, amice,
Qui Musas odio turbarum per loca sola
Sectamur, tacitas soliti vigilare per horas?
Tu finge, et vivos insculpens exsere vultus;
Ipse adstans veris ornabo versibus et te,
Et quemcumque voles saxo sacrare merentem. *)

*) De imagine Vincentii Montii Alphonsinis in ædibus publicis proposita, quam Baruzzius noster egregie exsculpsit, hæc antehac edidimus:

Montius, an saxo plus se Baruzzius isto
 Prodat, in ambiguo est: hinc ego utrumque puto
Efferri pariter; nec enim sine munere docti
 Montius artificis viveret ore recens,
Nec positæ arderent et fronte, et pectore flammæ,
 Queis Italo incessit syrmate Mœonides.
At neque jam tanto Baruzzius alite tendens
 Dædalea faceret marmor ab arte loqui,
Ni simul hausisset claro de vate favillam,
 Sculptile qua saxum reddere verba potest.

Sed nobis de Montio memorantibus quis non indulgeat, senariolos paucos huc adferre, quos in gratiam Benedicti Campanæ adv. Ferrarien. idiographas tum Montii ejusdem, tum Constantiæ filiæ chartas magno studio adservantis intra crystallos, septumque inauratum, nuperrime confecimus?

Quicumque in septo stupes, aut durateum
Hic hærens ad laborem, aut auri bracteam,
Intus conclusas esse scito autographas
Notas illius de quo dictum est Montii,
Dantem extitisse seclo undevicesimo.
His unica Constantia, et ejus unice
Dilecta nata sponte subjecit suas.

Campanam uterque magno ditat munere,
Lætum Campanam amplecti patrocinio
Patrem poetam, et poetriam filiam.
Quæ ne obsolescant illaudata, pervigil
Curat patronus, ut stringat senariis
Ferruccius sodalis, et clientulus.

XVI. AD IOANNEM MARCHETTIVM COM. V. CL.

DE EVA CINCINNATI BARVZZII.

FALLIMUR, an medio Paradisum cernimus orbe,
Et fraudem antiquam positis de marmore signis?
Eva sedens tamen hîc cunctatur, at invidus hostis
Urget adulatus pedibus, metuitque probari
Suspiciens facie cherubim, sed cætera serpens.
Quin trepidat pomum lethale obvolvere cauda;
Hærentem si forte quatit, si forte potita
Eva ruit vetito, seque, et sua denique perdit.
Fortunata sibi nimium prolique, viroque,
Si quæ nunc leviter labris fastidia tollit,
Pomum, atque illecebras usque aversata, gerebat!
Ante etiam genibus caderet quam prona voluntas,
Atque labans animus jam non depelleret hostem.
  Proh superi! cur non satis olim se facit ista
Marmoream, aut vivo cur non hæc corpore pendet?
Ut quamquam miseris hominum nil sortibus hinc sit
Demere, sublatis spectator sensibus exstans,
Intus adhuc dubitet primæ de crimine matris,
Unde genus totum felicibus exulat oris
Morte fatigatum jam tunc, mortemque fatigans.

v. 10. *Si quæ nunc leviter* etc. Quatuor hic versiculis æquare frustra experti sumus habitum omnino admirabilem statuæ quam qui viderit, artificem ad optimam sculpturæ laudem pervenisse, vel invitus fatebitur. Sed et Salmacide, et Silvia, et Leda, et Cymbalistria, et novissime Sulamitide cuique præstantissimo parem se probavit Baruzzius. De Leda sic nos olim gratulati sumus amico suavissimo:

Leda sedet dubitans, tendit subrepere cycnus,
  Virgineisque parat basia forte genis.
Ni pudor in tanto periit discrimine magnum est,
  Et totum ingenii, dulcis amice, tui.

Digitized by Google

At Sulamitidem sic descripsimus Dominico Casônio adv. ab materna origine civi nostro :

Deficit ad saxum nimio Sulamitis amore,
  Visa mihi nivea pulcrior in tunica.
Illa maritales, posito diademate, myrtus
  Gaudet odoratis implicuisse comis.
Brachia gemmato fulgent constricta monili,
  Et teretes suras sponte cothurnus obit.
Pectore myrrha jacet subnexa pendula bacca,
  Cortice stillanti quæ solet esse placens.
Nil neget, obtutu exhaustam si cernit amator,
  Aut interceptas si videt ille manus.
Quid plura expecto? musa sculptoris amici
  Divinus terris jam scio quid sit Amor.

XVII. AD FAVRVM BERTRANDVM DE LA GRANGE
VIRVM PRAECLARISSIMVM

DE LVXV.

Favre, per Helvetios memorabile nomen, et extra,
Cui raro exemplo tribuit fortuna valere
Divitiis, quam judicio doctrina potenti
Expediit sensns quàcumque exsugere veri;
An videar doctæ nova noctua Palladis urbi,
An nova testa Samo viles superaddere merces,
Si luxus veterem tendo instaurare querelam,
Et nimios intra mensuram cogere sumptus?
Nondum etenim appulerat qui vix reparabilis oras
Strinxisset vitii, atque ipsum subtiliter ignem
Argueret dictis aliqua frigescere parte.
Nondum a persona partitus, et ordine luxus
Terrificos vultus abjecerat, atque probari
Ceperat expenso, speciem fera nacta benignam:
Quæ nec avaritiæ saccos concederet auri
Sepositos, nec desidia marcescere vulgus
Quottidie pateretur agens erumpere septo.
Si tamen interius scrutati crura feramus
Judicii, facile occurret sub imagine falsa
Perniciem veram vitæ socialis inesse.
  Nam fœdus commune hominum consistere certans
Ordinibus, regitur sic, ut re vergat ad imum
A summo, quantum spe summum adfectat ab imo.

Digitized by Google

Hinc propiore gradu socialia culmina pulsans
Exemplum debet præsentius inferiori,
Quo fastus dignos nonnulla ex parte remittens,
Persona attenuet quod splendidus aggerat ordo,
Jugiter humanæ miserando incommoda plebis.
Hic etiam fieret jus summum injuria summa,
Nullis relliquiis impensa æquante receptum:
Et quæ cuncta potest inopino diruere ausu,
Turba minor rapide clamaret voce timenda,
Restitui in medium bona, si molitur aperte
Perdere dodrantem fortunatissimus ordo.
Nam magis exemplo, quam verbis ducimur omnes,
Dum sana est ratio, et vitæ venit utilis arti.
Sed nunc verba sonant ubicumque, tacentibus heu! heu!
Exemplis, suaque ipsa furens mala diligit ætas.
Sicut enim sapere est quædam nescire pudico
Consilio, quædam et verbis vulgare nefas est,
Quæ poterunt indicta bono esse minoribus; ex quo
Auditor vulgaris inops est mente, stupetque
Auditis, si magna ferunt, si parva sequuntur,
Ridet, et excusat sibi vitam semper inertem,
Quin et damnosam; nam se pejoribus usque
Comparat, ut meriti fugitivam colligat umbram.
Longe alio fertur cœci sententia vulgi,
Ac sapiens valeat recta ratione magister:
Longinquos ut si portus quis nauta requirit,
Atque ille ignoto declinat tramite rhombi.
Nam quisquis levior luxum intellexit ab ipso
Laudari sumptu, statuit, se judice, jam non
Esse malum, et minime vitandum amplectitur omne;
Nec partim sumit parce, partim abjicit, uno
Ipse sibi renuens, vicinis deditus actu.
Est odor in rebus, sunt quædam denique clauso
Quæ servare decet luctantia pectore, ne mox
Deficiat punctum salienti ad magna, caputque
Cujusvis facti felici pneumate sensus.
Namque ubi defectu captus socialia mordet
Vincula qui portat, suadendo obstare inimicum est;
Et quæ sana fuit tacito mens credita cordi,
Garrulitate patens jam non sana incipit esse;
Seu deprompta levi vanescat protinus aura,
Seu malus auditor fœdo corrumpat abusu.
Hinc luxu indomito vestis, mensæque, domusque

Turba putrescit, egens sumptu sibi visa negato.
Nam lascivus eques nil regibus invidet, et plebs
Aequiparans equiti se se, detrectat iniqua
Sorte datas leges: jamque ordine mobilis exit,
Exustis manibus chirothecas molliter aptans,
Sartor acu posita, sutorque, et fartor obesus.
Quis teneat liquidum reseratis fontibus orbem,
Et jubeat minima saltem durescere parte,
Ne propola voret patrimonî denique summam,
Fluminis ipse lacus tanti, neu sceptra verenda,
Cum gerulis ridente foro, venalia ponat?
Una salus latet exemplo: sint sumptibus infra
Fortunas modici proceres; sit nummus avaro
Artifici merces vivo quæsita labore.
Cedant humanas mire fingentia vires
Ultra fas vario nexu instrumenta; manuque
Ducat opus studiosus homo, ne forte sedendo
Exstimulare animum condiscat corpore inerti,
Atque vice obscura tandem indignetur haberi.
Tempora fraterna fortasse carentia cæde
Ad valvas pulsant orientis lumine fausto.
Audete, o proceres, resipiscere: tollite labem
Perpetuam: sit, more patrum, nonnullus acervus,
Vulnera qui capiat cælo, terraque, marique
Intentata bonis, quæ dat fortuna, rapitque.
Credite, nequicquam positis optare salutem
Ordinibus genus humanum, nî sponte paratis
Quilibet abstineat persona, imitandus ad imum.
Namque datos tolerare dies sapientia muta est,
Quæ pellit vitæ fastidia desidiosæ,
Nec miseros sinit ipsa sibi consciscere mortem.

v. 12. *persona . . . ordine.* Specie honestatis induta, pervasit luxus, et distinctione illa fallaci *d' individuo, di classe,* cuicumque ambitiosius adhærens, corrupit animos, rem omnem privatam et publicam perdidit.

v. 34. *dodrantem.* Est dodrans assis, dempto quadrante. Hic fingimus prima bonorum divisione dodrantem divitibus obtigisse, reliquo deterioribus distributo.

v. 50. *rhombi.* Petro Nonnio Lusitano rhombi servandi artem in itineribus maritimis acceptam referunt embaneticæ scriptores.

XVIII. AD LVDOVICVM SAVLIVM COM. EQ.
REGIS ALLOBR. A NEGOTIIS PVB. PER SARDINIAM

DE CVRA REI PVBLICAE.

Flos Ludovice virûm sapientûm, docta minerva
Quem simul et mores commendavere benigni,
Num procul a patria te semper habere Propontis
Debuit, et veteri hospitio bene Thracia fida,
Quá Ligures licuit sedem posuisse colonos?
Jamque parata domi te laus magis ampla, magisque
Dulcis amicorum studio præsente reclamat,
Deque tui Regis dono feliciter auget.
Sunt equidem hic rerum qui cognitione, modoque
Consilii, patriæ egregios tueantur honores,
Atque subalpino testentur vivere tractu
Virtutem antiquam, vitiis utrinque remotis.
Attamen et justum, et siqua est clementia, dignum est,
Aequora tam crebro vertentibus impete ventis,
Omnia nostra simul nostro resplendere cælo
Sidera, communis pignus sollemne salutis.
Quippe fatiscentem rimis immanibus orbem,
Quá latus occiduum, atque urentem respicit austrum,
Nôstis vos, quó fata trahant inimica; nec ægros
De fultura inopi jam sustentatis anhelos.
Nôstis, ubi ratio mentis consistat, ut æqua
Compositus norma dominetur pectore sensus:
Aut hinc, aut illinc nec læso fine, putatis
Posse manere homines sub fausti fœdere nodi.
Scilicet ut nebula variatur lucidus aer,
Ut mare cæruleum nimbis, ut fertilis annus
Præcipit effœtam Autumno fugiente senectam,
Gens sub sole isto rapidum mutatur in ævum
Quælibet, atque rotæ summum contingit, et imum;
Jam socia virtute potens, et florida, jam se
Desidia frangens, donec matura flagello
Objiciat dorsum, et pœnis plectatur amaris.
Huc illuc rarus sapiens, ceu naufragus alto
Impellens cymbam post vastæ fragmina puppis,
Congregat ejectos magna pietate, monetque,
Heu nimium sero, miseros sua damna videntes,
Tempora quærendis opibus bona, tempora et ipsis
Servandis meliora dari, virtute magistra,

Quæ parvo assuetos faciat concorditer unam
Muris, atque animis loricam obtendere sorti.
Illa juvant paucos, hæc humanum genus omne
Respiciunt, æqua cupidum se lance probari.
Credite, mortales salientis ad ardua secli,
Præteriisse diem gazæ sine more parandæ,
Natura enecta, mox pessum juribus actis.
Præstat amare domum, et patriam; præmittere honesta
Utilibus; sacrum, sanctumque putare, quid esse.
Cernite, Carthago quæ sit cum mœnibus altis,
Aut quæ sit Babylon sparsis prope nulla ruinis,
Et Solyma, et celebres, redivivum nomen, Athenæ!
Vos etiam Italiæ condensis civibus urbes,
Merserit excidio pejore volubilis ætas.
Attamen æripedes quodcumque effugerit annos,
Arguet antiquum decus, atque novissima fata,
Quam longe fas sit, reparante morabitur ausu.
Ulmus adhuc summis superat viridissima ramis
Sustentata solo pingui centum amplius annos:
Intus sicca, levis terebrato corpore; nusquam
Utilis, hibernos nî trunco pasceret ignes.
Illa tamen ventos præduro cortice, et imbres
Sustinet, humorem lentum radicibus altis
Exsugens, nec maturæ cadit apta bipenni.
Est et inexhausto surgens a stipite gentis
Humor Adamiticæ, summis quem viribus omnes
Exquirant populi, dum sortis ad ultima ventum est.
Nempe amor alternus fratrum (socialis imago
Fœderis, et vetus archetypum) quo denique verso,
Omnia ceperunt mala circumplectere vivos.
Huc revocare decet doctrina, legibus, armis,
Sed magis exemplo morum, quæcumque laborat
Gens, rapiente rota in præceps de culmine rerum.
Cogere et huc refert nolentes, atque volentes
Conditione pari; namque omnibus omnia læta
Esse simul, nusquam in terris fuit, aut erit unquam.
Vulgus iners, ipso invito, servandus ad imum est,
Cunctantes ut oves malefido margine rivi.
Sidera si taceant toto cedentia cælo,
Et cum sole suo caput abdat menstrua luna
Mersa chao, nullum majus natura tulisse
Dicetur damnum, quam si de cordibus olim
Exulet humanis amor hic, vis, vitaque mundi.

Cede loco, philaute, nocens a mente superba:
Cedat avarus, egens quo se magis implicat auro:
Cedat brutus homo superante libidine, et ira:
Perge ad formicam, piger, atque assuesce labori.
Quisque aliquid debere aliis condiscat amore
Fraterno, minimumque sibi concedat habendum.
Publica sic crescet res justis quæstubus aucta,
Et dudum incolumis cæli sub luce manebit.

v. 5. *Ligures . . . colonos.* Vir præclarissimus, ab legatione Constantinopolitana redux, opus protulit: *Della Colonia dei Genovesi in Galata libri* 6. *Torino* 1831. voluminibus duobus comprehensum, quod ephemerides literariæ, tunc temporis, justa laude extulerunt.

XVIII. AD VINCENTIVM MENCHIVM

ARCHIPR. TEMPLI MAX. FLORENTINOR.

DE LINGVA LATINA.

Menchii docte, piam sancto qui munere vitam
Interdum ad castas pateris divertere Musas
Eloquii memores, majestatisque Latinæ,
Quo fato Italiæ misero, nunc ipsa Latina
Majestas prostrata jacet cum divite lingua,
Quam male contemnit discors majoribus ætas? *)
Laus tamen hinc generis nostri diuturnior exstat,
Imperii supra robur, sortemque caduci:
Atque hinc, nomen adhuc reverendum, Roma perenni
Virtutum exemplo disjunctas personat oras.
Quin, siqua est alibi gens Marte elata secundo,
Mores, jura, fidem Romanam rebus in arctis
Consulit historias, et eo magis exit in altum
Quo minus Ausoniæ declinat ab alite Romæ.
Quis dementior est hoc, qui bona projicit ultro,
Et gemmas domus, ut levia atque aliena sequatur?
Res porro huc nostræ attingunt: namque Itala pubes
Fovit ab unguiculis veterum fastidia vocum
Oblectata peregrinis; et inania gestit
Arripere improbius, solida, atque abstrusa relinquit.
Hinc prodire tamen vir debuit, hinc quoque civis,
Conscriptusque pater, quem publica cura sagacem

Commendet quondam, et trepidis constantia rebus.
Incertis jam quod latus objectare periclis
Andeat, a puero salebras recidivus ad omnes,
Militiæ didicit qui tædia vincere nulla?
Quandoquidem stetit antiquis, ut aperta palestra
Ingenii spectaret eo, ne nobilis olim
Doctrinæ intentus si defit, tutior alter
Deficiat pariter, quo quis communibus aptus
Emicat officiis, frugi, castusque, tenaxque
Propositi, seque ipse gerens gravitate senili.
Sed nova progenies sublatis vadere gaudens
Ordinibus veterum, leviter vult omnia nosse,
Scire nihil penitus; foliis, et flore fugaci
Papilio insidens, nil de radice laborans.
Gallica condiscet modulamina gutture presso,
Materni supra numeros sermonis, et addet
Anglica, et Hispana; ut patrii devitet agendo
Sarcinulam eloquii, ceu Sisyphium grave saxum.
Attamen hæ Latio surgunt a stipite frondes,
Cui nisi dent operam stulta novitate superbi,
Destringent siccas, et amara aspergine tactas,
Invidia vivi laticis cunctantis in imo.
Errat, et hospitium toto sibi quæritat orbe
Gallorum arguta facilis levitate loquela:
Migrat ad Americos, urbesque, et litora complet
Hispana: ad Gangem, atque ardentes permeat Indos
Anglica, gannitu nymphas imitata marinas.
Quælibet interea proprium decus omne Latinis
Rettulit acceptum grata cum mente; nec ulla
Vult tyrocinium doctrinæ stare sine ipsis. **)
Solis est Italis diuturnæ insania germen
Desidiæ, qua pene piam dediscere matrem
Collatis agitant opibus; circaque Latinos
Difficilem ingressum, jacturam temporis, aures
Desuetas gravibusque sonis, sine fine queruntur.
Quæ requies, vel quis poterit modus esse furori?
Ingratos blaterare licebit, donec ab ipsis
Eveniat medicina malis, cum barbara pubes,
Sedibus a gelidis excurrens agmine denso,
Mollitiem omnigenam, et pravos deleverit usus.
Sed nos, Romanæ adverso quos tempore Musæ
Spiritus urget adhuc, secreta in parte locorum

Flebimus excidia, *et stultæ mala somnia gentis*,
Quæ sero *sapiet*, *mutatis sortibus orbis*.

*) Hæc eadem cum Philippo Schiassio auctore, et magistro nostro, pluries questi sumus: cui quum magna ex parte tribuendum fateremur, si quis adhuc Latinæ scriptionis est nitor, vir egregius, de se demississime sentiens, distichon rescripsit:

Me tot, Ferrucci, immeritis dum laudibus ornas,
Ostendis quantum fallere possit amor.

Idemque nobis domi cunctantibus, ne Bononiæ simul essemus, invitationem hoc attulit epigrammatio sane honestissimam, memoria injecta Eustachii Manfredii, civis omni ævo spectabilis.

Felsineam antetulit Luco Manfredius urbem;
Tu quoque, Ferrucci, o utinam anteferas!
Illius ut claro patria est nova nomine pridem,
Nomine erit posthac sic decorata tuo.

**) Nec Germania quæ literarum studiis nunc maxime floret, nllo unquam tempore abhorruit a latinitate. Quin et recentissime vidimus ea, quæ Ludovicus Rex Bavaricus nativa lingua suavissime panxerat, a Francisco Fiedler v. cl. latina fieri, et Vesaliæ an. MDCCCXXXI. prolata, per Italiam quoque diriberi. Cujus muneris cum et nos participes tunc fuerimus, ipsum Ludovicum Regem magnanimum, simulque Poetam elegantissimum his elegis ex humili compellavimus:

Teutonicæ fidicen cytharæ, Rex alme, canenti
Cui chorus adsurgit lauriger Aonidum,
Adsultant colles, queis Roma insistit, et udum
Tibur, et ex tumulis Appia tota suis,
Cajetæ moles, et fertilis ora Salerni,
Pompeji, et Pæstum, et littora Parthenopes;
Quæ Te, quæ seclo indulget clementia cæli,
Pectora concepto dum fera Marte tument;
Dum coeunt Boreæ percusso fœdere Reges,
Omnia ne secum turbidus Auster agat?
Credo equidem hoc fieri, ne quum nos dura fatigent
Fata semel, Musis otia deficiant
Secura, et sedes, tanto Cultore, remotæ
Vallibus irriguis, umbriferumque nemus,
Castaliique haustus, et Pindi mollior aura,
Plerumque algescens qua calet ingenium.
O! ego tum possim lateri comes esse canorus,
Quum decora enumeres singula Trinacriæ,
Aut Acragantem olea pinguem, ant, Segesta, theatrum
Fracta tuum, aut vasti mœnia Tauromeni,
Vosque Syracusæ, et viridis procul arva Panormi,
Atque Selinuntis myrta cruenta solo.
Ipse autem minima tentabo carmen avena,
Quod forte in silvis audiat ulla Dryas;
Aut ea præcipue, qua me licet esse poetam
Extremum numeri, Rex citharœde, tui.

XX. AD IVVENES

AVCTOR DE RATIONE STVDIORVM SVORVM.

SUNT qui de lecto sumentes carmine causam
Scitantur longe, studiorum nempe meorum
Quæ fuerit ratio; queis libris, quove magistro
Usus ego hanc laudem, si scripto est ulla, paravi.
Dicam equidem, juvenes, ut agentis denique noto
Instrumento, aliquem extrudat studiosa voluntas.
A puero cœcum inveni, extimuique magistrum,
Et pro literulis plagosum expertus amavi.
Mente valens memori psalmis, hymnisque docentem
More sacro æquavi, gaudens cantare vicissim.
Mox habuit pulcro me pulcra Faventia septo
Semen adhuc clausum, at longa pietate fovendo
Emovit tandem, quod disciplina periti
Rhetoris instigans produxit quattuor annis.
Invisum Logicæ recipit me muta Mathesis:
Jura antiqua tenent post inde, at jurgia terrent
Longa fori lingua hærentem, timideque locutum.
Ex illo optavi me Musis addere totum;
Laurea Virgilii nam me requiescere nunquam
Nobilitate sua passa est, nec adorea Flacci.
Hinc ego Virgilium, et Flaccum, duo crura poetæ,
Interius magno studui comprêndere amore.
Libavi Dantem, atque Areostum serius illo.
Mox, velut a specula, mundum lustrare minorem
Suscepi, et levium sumpsi compendia rerum.
Omnia digessi mecum, Latiique palestra
Egressus, soccis tentavi Carmen, inepto
Quod resipiscendi foret ævo suasor amicus.
His demum exutis, iterum me veste Latina
Occului, clamans ad vos, malecauta juventus,
Vitare insidias, vestigia prisca libenter
Servare, et vivo salebras superare labore.
Hoc ego si teneo, post me venientibus annis
Integer amota palmas cum laude resigno.

v. 7. *cœcum* etc. V. Carm. nostror. pag. 52. Pisauri A. MDCCCXXXI.
v. 14. *Rhetoris.* Hilarii nempe Ubaldinii sac. cujus singularem in docendo peritiam alumni disciplinæ ejus ore concordi testantur. Hunc nos Mantuæ diversatum his elegis olim convenimus:

Digitized by Google

Quærunt multi abs me, sic.. ut fastidia tentant,
  Ubaldine, meæ fictor, et altor opis,
Quærunt cur Musas audens tractare Latinas,
  Tam videor salebras temnere, tamque fluo.
Hos ego (*nam passim re respondetur oborta*)
  Haud semel insimulo criminis, atque doli.
Est dolus, et crimen, quod qui vix limine Cyrrham
  Attigerunt, temere hoc prodere judicium
Non dubitant, alacres quidquid fert nostra Camœna,
  Continuo magnis laudibus oppetere,
Et me jam Flacco, jam magno æquare Maroni.
  O seri studiis, ingenioque rudes!
Ecquis adest pudor? anne gerit lacrymabilis ætas
  Id quoque, Gradivo quod rapiente decus
Aonidum, et tacitos nemorum vertente recessus,
  Scitum aliquid nasci posse putetur adhuc
Quod jure antiquis se conferat, atque ita tollat
  Aut laurum, aut palmas, Africa terra, tuas?
Nec tacui adjiciens me quid fortasse videri,
  Non quod sim dives, sed minus artis egens,
Atque inter cœcos oculo spectabilis uno,
  Dum cultus Latiæ sordet ubique lyræ.
Interea vacuis versus effundimus horis,
  Quos labor extorquet, siqua Minerva negat.
Venor Aristarchum frustra, tamen undique plaudens
  Urget adulantum perniciosa manus.
Quid fit? vel quæ, dum circa laus detonet ingens,
  Sospes ab illecebris arx patefacta mihi est?
Ac ne stultus amor detrectet fræna, quis auctor?
  Hunc ego te auctorem nam quoties volui,
Optavi quoties adstare, et flectere habenas!
  Sed me non Musæ, non ita Phœbus, amant.
Semper abes, semper diversa in parte moraris.
  Me tenet ima suis finibus Æmilia:
Vos Aquilo et Zephyrus, vos fert Vulturnus, et Auster
  Submissos gemini quà patet ora maris,
Aut quà nubifero Apenninus vertice inumbrat
  Felices colles divitis Ausoniæ.
Nunc te tristis habet deformi Mantua limo,
  Virgilio atque eadem lætificata suo.
Heus tu! siqua huc est Andes, perque arva require,
  Perque lacus stantes, et venerare locum
Diis placitum, venerare auras, venerare paludem,
  Quæ tegat hic sancti signa notata pedis.
Tum, si forte salix alnis intersita tollit
  Haud procul in cælum brachia propter aquam,
His incide notis = HINC VBALDINIVS ANDES
  VVLT SALVERE SVI NOMINE DISCIPVLI. =

v. 27. *Carmen.* *Memoriale* poemation (si genus magis quam molem spectes) cui Apodixi hac tota, juvenilium animorum quasi Georgicis, prælusimus, quodque italice conscriptum adhuc in scrinio continemus, memores Horatiani illius præcepti: *nonumque prematur in annum*. Huic aliorum expectatio nequid aliquando adjiciat, vel detrahat, libentissime fatemur, nullum majus propositum nos habuisse, nisi ut fatiscenti literarum et morum veterum ædificio quamdam veluti substructionem pro viribus adhiberemus.

v. 30. *malecauta juventus*: præsertim amicitiis jungendis; ac si magna sit bonorum amicorum copia, aut amicus ipse firmus, et fidelis infelici casu deficere aliquando nequeat. Hoc nos cuidam sic querebamur:

Agmen amicorum fallax tibi funditus omnes
Officiis rapuit divitias, et opes.
Infelix! verum, qui raro occurrit, amicum
Blanditiis rapuit turpis amica tibi.

Coronidis loco accumulamus hic scita, quæ bonarum artium cultores recipiant eo animo, quo Cincinnatus Baruzzius a nobis accepit, suburbano suo apud Bononiam inscribenda:

I.
QVISQVIS . INGENVAS . COLIS
ARTES . CVPIDVS . ASSEQVI
LAVDES . AB . ANTIQVIS . NOVAS

II.
MENTIS . AGGREDERE . IMPETV
DELECTVS . QVE . IVDICIO
APTAM . TOLLE . MATERIEM

III.
HVIC . SENSVS . CORDIS . ADHIBE
BONOS . ET . INGENIVM . FERAX
HVIC . LIMAM . PATIENS . MORAE

IIII.
PRISCOS . SOLLICITVS . TVI
NE . SEQVERE . NE . DESERE
NATVRAE . MORVMQVE . SAGAX

Digitized by Google

Ite, animos juvenum missi componere versus,
  Proposito digni, nec tamen arte pares.
Ille Deus faciat, qui cælo adspirat, ab omni
  Pube semel posthac vos, iterumque legi.

Digitized by Google

DE LAVDIBVS

GREGORII XVI. PONT. MAX.

EX EIVS IMAGINE

QVAM CINCINNATVS BARVZZIVS MARMORE EXCVLPSIT *)

Aspice seu civis, seu forte huc advenis hospes,
Aspice marmorea magni sub imagine vultum
Pontificis, quem Roma colit, quem suspicit orbis
Justitiæ auctorem, reserat qui clavibus arcem
Lætificam Superum, æterno tum Tartara luctu.
Illum equidem ex humili quæque ad præclara vocatum
Credidimus placuisse Deo, qui fulgure veri
Jam primum explicuit redivivis artubus hydram
Monstriferam insano sese terrore gerentem.
Mox templa ingrediens obsessæ, et turpiter actæ
Relligionis, opem divinam maximus ultor
Attulit, et propria sublimem sede recepit.
Quin lateri adsistens (meritis hoc gesta trahebant)
Vexatam, at nullo temeratam vulnere Divam
Omnibus ostendit terris, atque omnibus undis;
Seque adeo tectos venturum desuper hostes
Spondet, et ardenti vibrat jam fulmina dextra.
Tum, quia sunt miris dulcedine fortia facta
Continuata modis, placidas defertur ad artes,
Auxilio quarum consistunt cuncta, cietque
Protinus augendos ad Relligionis honores.
Templaque jam Paulli flamma resoluta voraci
Cernimus ecce iterum positis minitare columnis,
Productumque opere ingenti quod maxima cella
Servavit veteris de magna forte ruina.
Atque etiam plenis totum id Gregorius annis
Perfectum aspiciet, primus molimine tanto
Quod Leo digessit cupide, inceptumque reliquit.
Nec minus admotis sacrata Palatia curis
Deterso squalore nitent, penitusque fugata
Barbarie, quá Vaticino stant colle, vel ultra
Quá fruitur cælo regio Laterana salubri.
Nempe erit e Summis, qui te, Pater alme, sequentur,
Alter erit, sibi præreptas circum undique poscat
Qui causas famæ, sedeatque hic forte refectis
Aedibus, et vacua tua captet munera mente.
Idem etiam velit orbe tuas laqueata redire

Tecta per historias, propriumque implere cubiclum;
Totus ut exculta stet conspiciendus in aula,
Pontificum effigies inter, Regumque piorum,
Hos turpi interitu reparans qui vindicat omnes.
Qui Romam, et Latium antiquum, fidosque Sabinos
Complectens, actis Anienem frangere tentat
Per juga longa cavis, et iniquum dissipat arvis:
Qui latus imperii ditare aggressus utrumque,
Obtritos revocat meliora ad pondera nummos,
Unde novis afflans accessit gratia signis.
Quin et ducendas statuas, pingendaque lina
Ponere amat, veterisque parat musiva laboris
Regifico sumptu mirantibus, aut nova demum
Decernit fautor redivivæ splendidus artis.
Scilicet hinc magno Andreæ, qui divite templo
Gregorî colitur, periturum lumen ab arte
Zampierî affulgens iterum per secla manebit;
Ostendetque Urbi dominæ quid Felsina pingens
Præsidio potuit natorum nempe suorum.
Felsina, summe Pater, quæ te veneratur, et ore
Jam noscit vivo, quod dat Baruzzius auctor
Sculptura insigni, statuitque ubi Curia pleno
Concilio profert rebus decreta gerendis.
Felsina docta, Pium in primis experta faventem
Artibus egregiis, propria quæ denique gaza
Jam premitur, pictas tabulas, et lintea circum
Accumulans minimis numero conclavibus, ut qui
Viderit, aut vidisse neget, doleatve videre.
At tu, siqua unquam Romani in parte Palatî
Juncta simul veteris picturæ exempla, novæque
Ordine proponi jubeas (quod Blundius, atque
Odescalcus agunt precibus, duo lumina Romæ)
Hoc etiam nostris de versibus excipe votum
Propitius; satis ut vasta sese explicet æde
Felsineæ decus urbis, et ingens fama magistris,
Rhenius, Albanus, Caraccius alter et alter;
Tum qui te magnis pingendo ponere vellet
Pro meritis, mentem faciens exstare benignam,
Zampierî mite ingenium, cui nunc favet uni
Præcipue Ausonia, atque aliis gens dissita terris.
Sic pateant nostræ, te Principe, latius artes.

*) Quod Bononiæ inter Sodales Clementinos Baruzzius noster sculptura præstat egregie, præstat pictura Josephus Sognius,

præstat ære cælando Franciscus Rosaspina cum J. Guadagninio, et F. Spagnolio discipulis. Hunc postremum, ab imagine Ignatii Blasii archipr., quam lineari scalptura optime retulerat, sic nos olim commendavimus:

Viventes vultus Raphael dedit, atque Vecellus,
Mirificas visi ludere per tabulas.
Credimus ingenio factum hoc tentante sigilla
Naturæ, ex aliqua parte reclusa viris.
Sed tamen in cumulum laudis color unus, et alter
Venerat, et regum gratia magnanimûm.
Tu scalpens æra in tacito, Spagnole, recessu,
Ora gravis cestri pingere tendis ope.
Testis adest ausis Ignatius iste, videtur
Quo mihi nil vivum vivere posse magis.
Perge alacer studiis: jam nec sors dura vetabit,
Quominus ipse omni tempore notus eas.

v. 7. *fulgure veri. V. Il Trionfo della S. Sede e della Chiesa contro gli assalti dei Novatori ec. Opera di D. Mauro Capellari Monaco Camaldolese*. Roma, Pagliarini 1799.

v. 29. *Palatia*. Lateranense in primis, cui restaurando, excolendoque magna cura, impensisque vacavit Pontifex providentissimus.

v. 43-44. *actis . . . cavis*: nempe cuniculis per Catillum montem mira fossione deductis.

v. 52. *Andreæ*. Zampierii pictoris laudatissimum opus Romæ in æde Gregoriana visitur. Hoc, ne pictura vanescente penitus obsolesceret, per artifices diligentissimos, opere vermiculato fideliter reponi, curatum est.

v. 61. *Felsina docta* etc. Vota hic intertexta adjecimus Bononiensium quorumdam, uti quam gazam Pius vII. P. M. Pinacothecæ eorum addixit, eamdem, ex indulgentia Gregorii xvI. ampliatis sedibus apte digerere liceat.

AD GREGORIVM XVI. P. M.

DE MVSEO EX MONVMENTIS ETRVSCIS
QVOD IPSE APERVIT ROMAE
ANNO OPTATISSIMI PONTIFICATVS VI.

Maxime sacrorum Custos, Rectorque volentum
Christiadum, quotquot diversis jungere terris
Una Fides valuit, Cruce lætos ferre salutem;
Quamquam dura satis dentur Tibi tempora, et Orbi,
Nos Te mirari dulce est, quo pectore vincis
Duritiem hanc ipsam rerumque, hominumque perennem.
Sic et Idumæo de stipite palma prementi
Obluctatur agens, et contra pondera surgit.
Quin studia, atque artes securæ Pacis alumnas
Provehis inficio, pulcrique exempla laboris
Sede facis propria testari gesta priorum:
Relligione facis divina exstare trophæum
Insignis gazæ, post longos quæ redit annos.
Græcia jam sollers, jam lenta Aegyptus, et Indi
Addiderant laudis monumenta advecta vetustæ;
Plurimaque ipsa solo prædivite Roma per ævum
Protulerat, flava tenuit quæ Tybris arena.
Nec tamen Etrusco celebrati nomine campi
Ante Quirinales lauros, sceptrumque Latini,
Magnum aliquid dederant quod famam impleret abunde
Fictilium, pictis nativo more figuris,
Saxorumque, notis inscriptis: æmula quando
Aetas delevit, tabulis quæ pinxerat olim
Ludius Elotas, tum quæ posuere periti
Rupibus artifices cæsis, liquidoque metallo.
Terra fuit cultuque ferax, et idonea celsis
Mœnibus educi, quam gens optavit Etrusca
Esse arcem rebus media regione tuendis.
Turrigero stetit hic primum Vetulonia muro
Concessura locum tibi, Vulcia, donec hianti
Tu quoque mersa solo jaceas, tristemque ruinam
Obducant parvi segetes, et tecta Canini.
Atque aliquis messem conductor questus inanem,
Spe meliore lucri, malefida in rura ligones
Hic adhibet: jamque amota tellure, tot ipse
Egerit unus opes, quot signis credita Roma est
Vulsinium spoliâsse vetus, Mavorte secundo.

Digitized by Google

Obstupuere animis sapientes: namque supellex
Addita fictilium, cælatique æris ad unguem
Detinuit graviter tractantes, dignaque visa est
Inter habere locum miracula principis Urbis.
Tuque, auguste Parens, hinc prospicis, ut senioris
Fastibus Italiæ nil rerum desit; et ultra
Quam Pius, et Clemens, donando pergere gestis.
Jam quod avara negat scrutanti Vulcia, laxis
Tarquinia ipsa dedit melius tentata sepulcris,
Ambiguaque Tuder regione, et frigida Cæres:
Forte dedere Cosæ, miserunt forte Phalisci,
Urbs quoque dilapsi stagnis intersita Clusî:
Quidquid et arvorum Campania pinguis aravit,
Quidquid Tyrrheni claudunt cum Tybride fluctus.
Si quis erit posthac qui res ab origine Tuscas
Scitetur: queis advecti de sedibus olim
Oenotriæ optârunt felicia regna coloni;
Unde habuere Deos, moresque, et civica jura;
Urbibus unde modum cingendis; unde decorem
Artibus attulerunt ornandæ denique vitæ;
Ille quidem poterit diuturnas tollere lites:
Nec totum Ausoniis Orientem immiserit oris,
Nec cunctos pelago Grajos deduxerit alto.
Sed bene collatis rationibus, Indica junget
Semina principiis, quæ gens Etrusca virili
Servabit spatio; sociatis donec ad imum
Indulgens Lydis, artesque amplexa sequaces,
Mæonium redolere volet, Græcamque vocari.
Hic se componet cum duro Lanzius hoste,
Lanzius Etrusci reparator nominis, unde
Ignvium lecto studiosius ære superbit.
Huc res perductas, te Principe, Roma fateri
Gaudebit, speciesque novas conclavibus altis
Ordine digestas ostendet pectore grato.
Atque aliquis tacitos inter miratus amicos
Munera tanta operum, sic sponte silentia rumpet:
- Hæc Sacer a sexto Gregorius addidit anno
Culminis Etrusci fragmenta excerpta ruinis;
Hoc quoque ut exemplo pateat, fastigia rerum
Diffluere, et vastum telluris inire sepulcrum.
Mirator quicumque venis, discede caducæ
Contemptor vitæ, spemque immortalis honoris
Exacuens, Cælo sortes tibi quære manentes -.

v. 24. *Ludius Elotas*. Pictura in primis floruisse apud Etruscos veteres Ludium Elotam, auctor est Plinius.

v. 29. *Vetulonia etc.* Caput Etruriæ, quam *mediam* dixere Geographi Campanam inter et Circumpadanam. Hanc Vulcia excepit: Vulciæ vero ætate devexa, Canini oppidum superinstructum est, cujus ager nuperrime defossus, fictilia in primis, et æra magno numero attulit; ex quibus postremis cistam, et tripodem, opere laudatissima.

v. 37. *Vulsinium etc.* Urbs lacu gaudens cognomine, qua deleta, statuas ad MM. Romam advectas fuisse, traditum est.

v. 46. *Tarquinia etc.* Urbs Etruriæ vetus, quemadmodum et Cære, et Cosæ, et Phaleria, et Clusium, patriis quælibet antiquitatibus spectabilis. Sed Tuder an ad Etruriam, an ad Umbriam pertinuerit, dubitatur.

v. 58. *lites.... etc.* Quæstio fuit ad hanc fere diem producta, Etrusci ab Asiaticis interioribus, an a Græcis artes, ipsumque idioma susceperint. Porro Aloisius Lanzius vir eruditissimus in Opere cui titulus: *Saggio di Lingua Etrusca*: Græcis impensius favere visus est. Huic vir Italus purum putum orientem crepans, citra morem urbanitatis, adversatus est opusculo quod inscripsit: *Congetture sull' antica inscrizione della torre di S. Manno.*

v. 68. *Iguvium etc.* Mentio injecta hic est de Tabulis Eugubinis, quibus declarandis Aloisius Lanzius doctrina, curaque inenarrabili diu insudavit.

ΤΕΛΟΣ.

VA1 514532

INDEX EPISTOLARVM,

AD QVOS MISSAE SINT,

QVIBVSQVE PAGINIS HIC RESPONDEANT.

Digitized by Google

pag. 10	v. 14	referre,	*legesis*	referre.
15	13	effæta		effœta
31	24	volantem;		ferentem.
43	16	insculpens exsere		sculpendo discute
27	27	Undecumque		Undeunde est,